



Zancle-Messana

<https://hdl.handle.net/1874/253820>


A 40 192


L.M. 9 juli 1903

ZANCLE-MESSANA.

A. LAZONDER.







Dess Utrecht 1903

ZANCLE-MESSANA.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

W. L. P. A. MOLENGRAFF

JUR. DOCT. ET IN FAC. JUR. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM

ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

ADRIANUS LAZONDER

EX OPPIDO SCHOONHOVEN

DIE IOVIS IX M. JULII A. MDCCCIII, HORA IV.



TRAIECTI AD RHENUM
APUD KEMINK ET FILIUM
MDCCCIII



Stadio Academico iam prope decurso, animo recensere iuvat egregiam summorum virorum humanitatem et benevolentiam. Imprimis autem, clarissime Krämer multa tibi debeo, qui perpetuo et praecipue in hoc opere qualicumque conscribendo, optimus mihi fuisti Mentor. Gratias tibi ex intimo corde ago quam maximas neque unquam tuorum beneficiorum immemorem me videbis.

Et tibi gratias libenter ago, clarissime van Herwerden, qui propter aetatem rude donatus proximo anno discipulis tuis valedixisti. Grata mihi semper erit temporis, quod te duce, Graecis impendi litteris, memoria.

Praeceptoris humanissimi et doctissimi van der Vliet, qui proximo anno mortem immaturam flebiliter obiit, semper gratam memoriam retinebo.

Tibi, clarissime van der Wijck gratum refero, si quid in philosophia sapio.

Atque vos, amici omnes, quibus cum variis amicitiae vinculis coniunctus eram, valete.

PARENTIBUS OPTIMIS.

CONSPECTUS.

	Pag.
Praefatio ad historiam urbis „Zancla-Messana”.	1
Portus situs et origo. Originis commenta nominis urbis. . .	10
Graecorum in Sicilia colonia. Urbis adiacentia	24
De urbe condita et de primis eius incolis	38
Quo anno quoque modo urbs Zancla eiusque coloniae con- ditae sint quique in ea antiquissimis temporibus regerent.	45
Zanclae urbis res gestae usque ad Anaxilai mortem. . . .	58
Micythi tutela. Messanae status post Anaxilai filios eictos. Ducetius. Leontini auxilium petunt ab Athenis.	74
Athenienses in Messanam recepti mox expulsi sunt. Locren- sium praesidium in urbe collocatum est. Hermocrates.	
Pax inter Carthagenienses et Dionysium	83
Messana in Dionysii potestate. Civiles motus in Sicilia post Dionysii mortem. Agathocles Messanam sibi subiecit. Mamertini. Pyrrhus	98
Hiero Mamertinos proffigat. Hannibal praesidium in urbe ponit. Hanno in Siciliam venit. Mamertini Romanos auxilio arcessunt	115
Theses	126
Recentiorum opera quae inspexi.	131

Praefatio ad historiam urbis „Zancla-Messana”.

Sicilia, quae insula pontis instar sita est inter Italiam et Africam, non modo magnitudine omnes maris Mediterranei insulas superat sed etiam fertilitate omniumque quas terra fert frugum praestantia reliquis antecellit; situ etiam opportunissimo antiquissimis iam temporibus nautas ad oras suas alliciebat. Ipsi cum vires deessent quibus expugnatores et piratas a se depellerent, per multa saecula variae diversaeque gentes certabant ut pulcherrima illa fertilissimaque insula potirentur. Trianguli praebet speciem, anguli sunt promontoria Pelorum, Pachynum et Lilybaeum, quam ob rem Trinacriae ¹⁾, id est Triquetrae — ut Diodorus dicit — nomen accepit. Latus, quod spectat Solem Orientem, reliquis duobus, quae Meridiei et Septentrionibus opposita sunt, longe feracius est, qua re, cum insula in tres dividi partes soleat, ea quae a suo promontorio „Pelorus” vocatur, propter egregiam soli naturam maxime expetenda erat. Ab Italia freto Mossanensi seiuncta est, quod

1) Plin. H. N. 3. 8. 14. Thuc. 6. 2. Strabo 6. 410. Pol. I. 42. Dion. Hal. I. 22. Od. XI. 106 *Θρινακίη νήσος*.

Siciliae symbolum hodie significatur per hominem volutantem tribus cum cruribus in rotae forma. Caput in medio est in quo crura sunt ut rotae radii. Nomen ei est *τρισκελής* i. e. triquetra. Unde hoc symbolum oriatur mihi ignotum est. Triquetra, quid sibi vult? Triquetra praedia cf Horat. Sat. II. 6. 55.

fretum interfuit inter Siciliam et Bruttium. Huius freti extrema pars meridiana magnae latitudinis est, Septentrionem autem versus paulatim artius coeunt litora, ita ut angustissimam freti partem inter Pelorum et Caenyn interdum incolae feliciter tranare possent, et, sereno aëre marique tranquillo nec ventis commoto, canum latratus, quin etiam gallorum cantus tempore matutino ex adverso litore exaudiri possint. Inter scriptores qui spatium huius angustissimi freti afferunt ¹⁾ mira dissensio est; nostro autem tempore constat fretum hoc loco 3288 metrorum spatii esse ²⁾. Fauces cae in causa fuerunt cur celeberrimi scriptores, quos sine impudentia vix impugnaveris, diserte memoriae prodiderint Italiam et Siciliam olim inter se coniunctas fuisse, terrae vero motum aut soli fragilitatem et humilitatem, quod ex altera parte Tyrrhenum ex altera Ionium mare perpetuo verberaverit, effecisse ut Sicilia postea seiungeretur. Non solum scriptores ³⁾ haec narrant, sed etiam poëtae cum Gracchum Latini ⁴⁾ crebro de hac separatione canunt. Rhegium urbs, quae in litore Italico ad fretum Siculum iacet, remotissimis iam temporibus suum nomen habere credebatur a verbo Graeco „ρήγνυμι” i. e. rumpere, scindere, quin etiam sunt ⁵⁾ qui sine ulla dubitatione affirmant nomen illud, quippe quod a diruptione derivatum est, probare Siciliam et Italiam olim unam fuisse terram.

Facile intellegitur nautas olim cum per fretum Siculum vela

1) Polyb. Thuc. Plin. Scylax. Cluverius alii.

2) Baedeker Ital. III^a p. 324.

3) Strabo 6. 1. 6. Diod. 4. 85. Pomp. Mela 2. 7. Plin. 3. 8.

4) Ov. Metam. 15. 290/292. Verg. Aen. III 414/419. Sil. XIV. Stat. Thebaid. III.

5) Str. 6. 395. Plin. 3. 8. 14. cf. Heracl. Pont. fr. 25. Ῥήγιον ἐκαλεῖτο ἀπὸ τίνος ἐγχαρήλου ἕρωος.

facerent angustias spectantes suspicatos esse orae illos tractus diruptione esse ¹⁾ factos inde autem urbi Rhegii nomen dedisse, quippe quae sita erat in ea regione, ubi „ἐρρήγνυτο ἡ γῆ καὶ ἡ Σικελία νῆσος ἐγένετο.” Nominis originem fabulam de diruptione non praecessisse equidem non crediderim, communis enim olim erat opinio ab omnibus fere accepta omnes insulas sive terrae motibus sive magnis et diuturnis inundationibus sensim mollitas denique discretas esse. Mare etiam Mediterraneum credebatur quondam fuisse mare internum a Gadibus ad Bosphorum tendens et freta, quae nunc iis in locis sunt, credebantur terrae concussionibus procellis eluvionibus orta fuisse. Urbis Rhegii situs autem non affirmare videtur Siciliam olim cohaesisse cum terra continenti quia promontorium Caenyn ubi avulsio facta fuisset et urbs Rhegium plus quam sex milia passuum distant.

Quod attinet ad Siciliae originem duae opiniones apud antiquos exstabant.

Altera haec erat: divulsam esse insulam ab Italia sive terrae motu sive frequentibus inundationibus sive maris impetu. ²⁾

Altera: summa ignis e subterraneis cavernis prorumpentis vehementia emotam esse ³⁾. Nemo usque ad nostra fere tempora hanc obscuram et perplexam rem solvere potuit. Nuper demum ab antiquis scriptoribus dissentire ausus est Germanus quidam, cuius nomen piget me, licet diligentissime perquisitum, reperire non potuisse Opinionem suam exposuit ille in periodica, quae inscribitur „Zeitschrift des Auslandes n^o 285 p. 1139 (Siciliae annales)” hisce verbis:

1) Theob. Fischer p. 7.

2) Strabo VI. 1. 6. Diod. IV. 85. Just. IV. 1. Aen. III. 419—49. Ovid. Metam. XV. 290/292.

3) Strabo I. 3. 10.

Rücksichtlich des Faro di Messina muss ich noch einer oft ausgesprochenen aber falschen Ansicht begegnen, wonach Siciliën vor Menschen gedanken von Italiën losgerissen sein soll — ja scharfe Augen wollen sogar ganz deutlich wahrgenommen haben, wo die Auszackungen der einen Küste genau in die der anderen hinein passen; Siciliën und Italiën waren *nie mit ein ander verbunden* und sind vielmehr erst durch die späteren Hebungen beider, welche nach der Tertiärzeit begannen und die wahrscheinlich noch jetzt fort dauern, einander bis so weit genähert worden.

Anno superioris saeculi septuagesimo Ad. Holm cui magnam in omnibus rebus, quae ad Siciliam pertinent, auctoritatem nemo est qui abneget, causam tamen diiudicare nondum ausus est, et etiamnunc dubia est insulae origo.

Anno autem septuagesimo septimo eiusdem saeculi Theobaldus Fischer clare atque lucide rem tractavit, omnibus ad illam pertinentibus optime exploratis et ab omni parte accurate perpensis. Breviter interpretationem Fischerii suis ipsius verbis exponere liceat. Haec sunt:

Es ist dies eine der Erdstellen, wo das Innere unseres Planeten am Kräftigsten gegen seine Oberfläche reagirt, Hebungen und Senkungen derselben und einen Wechsel in der Vertheilung des Festen und Flüssigen hervorgerufen hat und noch hervorruft. Eine stattliche Reihe von theils erloschenen, theils noch thätigen Vulkanen zieht sich vom südlichen Toskana in kräftig geschwungenen nach Nordwesten offenem Bogen durch Unter-Italiën, Siciliën und die umgebenden Meere nach Afrika hinüber.

Sie bezeichnet zugleich die Richtung einer langgestreckten Landbrücke, die vom Rumpfe Europas über das ganze Becken des Mittelmeeres nach dem nächststen punkte Afrikas hinüber geschlagen ist Eine grosse Hebungslinie, die jetzt, nach dem

genaue Landvermessungen und Lothungen uns ein klares Bild vom dem Relief dieses Theils der Erdrinde gegeben haben, uns um so anschaulicher entgegentritt, zieht sich dieser Vulkanreihe parallel. Charakteristisch ist dabei, dass diese Vulkane wol ohne Ausnahme sich erst erhoben und ihre Thätigkeit begannen als diese Brücke schon fest hergestellt war, diese Bodenschwellung sich aus den Fluthen erhoben und jedes Meer, das wir in seiner jetzigen Gestalt geradezu das Mittelmeer nennen, in seine noch heute erkennbaren beiden Hälften geschieden hatte. Weiter charakteristisch ist, dass all diese Vulkane sich aus dem Meere oder in zum Meere hinabgesenkten Tiefebenen erhoben am Rande eines jener Bodenschwellung entsprechenden Senkungsgebietes, auf welchem grosse aus alten krystallinischen Gesteinen gebildete Erdschollen, vielleicht ursprünglich eine einzige, jetzt von den Wogen des Tyrrhenischen Meeres bedeckt werden. Sardiniën-Corsica, die Südküste der Provence und die Landtrümmer, die dem Toskanischen Archipel bilden und von denen die Insel des Monte Argentaro jüngst landfest geworden ist, dann im Süden die Sila, die Serra San Bruno, *der Aspromonte und das Peloritische Gebirge* sind die letzten Trümmer dieser alten Erdscholle. Bedeutungsvoll ist schliesslich, dass sich die grössten noch thätigen Vulkane, Aetna und Vesuv in erst später durch Schwemmland ausgefüllten Meerbusen erheben, dicht neben secundären Kalkgebirgen, die sie im Halbkreis umgeben.....

Wir haben also in der Meerenge von Messina ein zum Theil noch mit Wasser bedecktes Thal zu sehen, das allerdings ursprünglich durch ein Auseinanderreissen der Gebirge entstanden sein mag, nur muss man festhalten, dass dies dann in einer Zeit geschah, wo der Mensch noch nicht die Erde bewohnte. Die Sagen, die seit den ältesten Zeiten sich bildeten und von einer Periode zur andern von Homer an von Dichtern und Geschichtsschreibern wiederholt wurden, das Wortspiel mit *Πήγιον* und *ἄγγυρον* sind lediglich darauf zurück zu führen, dass auch dem einfachsten Menschen beim

Anblick der Meerenge der Gedanke an einen grossen Riss kommen muss. Im Uebrigen sprechen verschiedene Gründe, auch paläontologische dafür, dass in nachtertiärer Zeit die Meerenge in der That nur eine Senke und nicht mit Wasser angefüllt war, damals als Sicilien auch noch mit Afrika zusammenhing. Vielleicht wurde dann erst diese Verbindung unterbrochen, als sich die Meerenge von Gibraltar bildete und durch Einströmen des Wassers des Oceans sich der durch Verdunstung niedere Wasserspiegel des Mittelmeeres hob wenn anders nicht die Verbindung mit dem Ocean im Süden durch die Syrten und die Sahara noch bestand. Damals, so müssen wir annehmen, begannen dann die Bildungen am Faro, die dort die Meerenge mehr und mehr einengen. Schon der verständige Naturbeobachter Hesiod scheint auf dieselben und ihre Ursache hinzuweisen, indem er sagt, dass, nachdem sich hier das Meer geöffnet, Orion das an der Peloris gelegene Vorgebirge angeschwemmt und das Heiligthum des Poseidon gegründet habe. (Bei Diodor IV, 185). Orion ist bei Hesiod Sohn des Poseidon und der Hyelos¹⁾ und der Ausgang des nach ihm benannten Sternbildes nach der Sommersonnenwende pflegte in Griechenland Sturm und Ungewitter mit sich zu führen, die Deutung des Mythos liegt also auf der Hand.

Pauca hic inserantur de iis quae Thuc. 4. 24. 5. narrat; ille enim auctor ut apparet ex loco laudato — credebat fretum Siculum idem esse ac Charybdim, quae omnibus aliis spelunca est periculosa vergens ad Orientem molis, quae Messanae portum circumdat. Nusquam argumenta reperimus quae Thucydidis opinionem hac in re affirmare possint, prorsus contra eum erravisse apparet ex antiquis, quorum duo hic memorentur.

Apud Strabonem 6. c. 268 legimus: „*δεικνυται δὲ καὶ ἡ Χάρυβδις*

¹⁾ Ubi haec apud Hesiodum reperiantur et quae Hyelos esset, nescio.

μικρὸν πρὸ τῆς πόλεως ἐν τῷ πόρῳ," ubi ἡ πόλις ad „Zάγκλην” spectat, Charybdis rupes est.

Idem traditur in Odyssea: μ 73: οἳ δὲ δύο σκόπελοι ὁ μὲν οὐρανοῦ εὐρύν ἰκάνει (i. e. ἡ Σκύλλη) et ibidem 101 „τὸν δ'ἕτερον σκόπελον χθαμαλότερον ὄψε' Ὀδυσσεῦ (i. e. ἡ χάρυβδις) πλήσιον ἀλλήλων καὶ κεν διόιστεύσειας κ. τ. λ. qui loci probant Homeri aetate Scyllam et Charybdim duos scopulos fuisse in ora Italiae et Siciliae.

μ 104: τῷ δ'ὑπὸ δία χάρυβδις ἀναρροιβδεῖ μέλαν ὕδωρ i. e. Charybdis absorbit aquam nigram. Vis verborum „μέλαν ὕδωρ” apud Homerum vulgo est „summa aqua venti flatu vel alia causa horrida facta”¹⁾; hic autem aliud quiddam significare suspicor: „aqua luto turbida” scilicet. Hodie enim, quod aliter fuisse Homeri temporibus non est cur credamus, lutum plurimum eiciunt parvi torrentes („fumari” hodie dicti) quorum magnus in Siciliae ora numerus de montibus in mare effluunt. Ventis et fluctibus, qui fere semper hic saeviunt, hi fluvii reiciuntur et in litore quod secum volvunt lutum relinquere coguntur.

Od. μ 105: τρὶς μὲν γὰρ τ'ἀνίησιν ἐπ' ἡματι, τρὶς δ'ἀναρροιβδεῖ i. e. ter affluunt terque refluunt aestūs maris vicenis quaternisque horis²⁾, cf etiam μ. 85 ἐνθα δ'ἐνι Σκύλλῃ ναίει δεινὸν λελακυῖα i. e. ventus — qui Sirocco ibi vocatur — undas contra rupes excitat, quo impetu rupes excavantur. Quibus Homeri ita explicatis locis quae mari caeloque fiunt vere nobis narrari apparet et scriptores, qui postea Siciliam viderunt, nos certiores faciunt etiam nostris temporibus eadem in oris Siciliae fieri ac supra ex Homero interpretati sumus³⁾. Sunt vero qui putant Homerum tantum-

1) Cf. Ameis Od. δ. 359.

2) „Ter” vero non iustus numerus videtur, sed saepe aestus maris hic fieri constat: cf. Caesar de bello Gall. III. 42. Buchholz, Hom. Real. I. 273.

3) Smyth, Brunet de Presle, Plac. Reyna, Serra di Falco.

modo commenta narrare, quod autem propter supra commemorata probabile non videtur. Veram rerum conditionem poëta haud ignorabat, sed vatis licentiâ, quae iam penitus nota erant tamquam nova reddebat et saepe, ut auditores caperet, quae narrare volebat fabularum in speciem involvebat, qua in re pennae ei incisae non erant, neque timendum ei erat, quod posterioribus accidit, ne ob rerum inscitiam verba sua prave intellexerentur et ex iis plane incredibilia elicerentur.

Strabo ac multis saeculis post Robert Wood¹⁾ eum defenderunt, et recte ut videtur. Iis persuasum est Charybdim fuisse ad Siciliae oram, quae supra Messanae portum iacet, qui situs eo magis verus videtur, quia etiam nunc quotannis in hac freti parte multi nautae naufragium faciunt vel aliquo damno afficiuntur, quam ob rem certis anni temporibus, quibus venti maxime furere solent, duces freti periti hi morantur ut navium gubernatoribus vada indicent et naves incolumes in portum ducant²⁾. Axt nobis insuper duo scholia allegat ad eam opinionem defendendam sc.

Apoll. Rhod. 4. 825 (Brunck): τῶν δὲ τριῶν αὐτῆς (τῆς Σικελίας) ἀκροτηρίων ἀφορᾷ πρὸς Ἰταλίαν ἢ Πελοπόννησον ὑποκεῖται δὲ αὐτῇ χάρυβδις ἢ δὲ Σκύλλα ἐν τῇ Ἰταλίᾳ ἀντικρὺ ταύτης.

et ex edit. Henr. Steph.: κατὰ δὲ τὸ ἄκρον τὸ πρὸς Ἰταλίαν ἀφορῶν, ὃ καλεῖται Πέλωρος, κάτω ἐστὶν ἡ καλουμένη χάρυβδις (e. cod. Par.) Smyth qui animi causa magnam orbis terrarum partem peragravit et utile miscens dulci quae vidit publici iuris fecit, iter faciens per mare Mediterraneum nobis hac in re assentitur et is imprimis commemorandus est quia, ut Holm et Freeman

1) Versuch über das Originalgenie des Homers aus dem Engl. 1774. Berlin.

2) Smyth o. l. p. 113. Messinae Dintorni Guida p. 35.

dicunt, magnae est auctoritatis. Thucydides itaque Charybdim cum saepe etiam „*περθιδς*” et „*περθιδς Σικελίας*” vocat, trita haec locutio est pro rerum conditione periculosissima (cf. d'Orville).

Haec de ea quaestione praemittenda videbantur quandoquidem propositum mihi est a primis originibus scribere de conditione et de rebus gestis urbis „Zancla-Messana” quae urbs prope angustissimam freti partem sita est et quia forma ipsius ac quae urbi adiacent arcte cohaerent cum origine huius freti.

Portus situs et origo. Originis commenta nominis urbis.

Urbs cui nunc Messina, remotioribus temporibus Messana remotissimis vero Zankla vel Dankle nomen erat, haud infimum inter Graecas insulae Siciliae civitates locum tenet. Zankla loci opportunitate semper clarissima ideoque a potentissimo quoque concupita et occupata fortunae vicissitudinibus memoratu valde digna; imprimis autem oculos in se convertit, quia ad satis magnam opulentiam progressa per varios fortunae casus et per omnes a Syracusanis et tyrannis aequae ac Carthageniensibus ei illatas iniurias libertatem, si eam paulisper amisit, amissam semper recuperavit ad ea usque tempora quibus tota insula Romanorum potestatis facta est. In Siciliae ora sita non multum aberat ab angustiis freti Siculi ubi antiquorum opinione olim Apennini montes ex Italia in Siciliam uno tenore percurrebant in montes postea „Nebrodi“ dictos, quam sententiam Fischer iam plane redarguit²⁾. Primum quod antiquissimorum navigantium oculos attrahebat cum orae Peloritanae appropinquarent, quodque copiam faciebat fabularum narrandarum erat ligula, quae aliquot milibus passuum a Peloro promontorio distat et ab

1) Cf. Holm III. Anhang p. 563. Dankle legitur in antiquissimis nummis.

2) Cf. Fischer p. 6.

Occidentali parte in altum mare procurrens sinum aptissimum efficit navibus recipiendis. Portus urbis medio sinui adiacentis miraculo quodam creatus videtur, aditus tamen difficilis est. Aestuoso enim fretum, ubi duo maria magna vi confluunt, grave praebet periculum nautis praesertim portum petentibus dum spirat aquilo. Ceterum sexcentis — ut Diodorus narrat — navibus tutissimam et amplissimam stationem praebat; moles enim ex aggere et silicibus ab ipsa natura quasi aggesta atque exstructa brachio incurvato similis ab Oriente Occidentem versus producta, omnem undarum impetum excludit, relicto modico aditu, ad quem tamen maris Tyrrheni vis nisi obiectu extremi Pelori iam fracta ac debilitata pervenire nequit. Portus tam profundus erat, ut naves cum longae tum onerariae ad ipsam crepidinem mercis reddendae recipiendaeve causa possent accedere, in plurimis vero locis quadraginta cubitorum altitudinem exaequaret. Huic peculiari portus formae urbem antiquum suum nomen debere infra exponitur. Priusquam autem de certis rerum originibus agitur, mythologorum commenta perlustranda et intricatae fabularum tolcae retexendae sunt, quia operae pretium est cognoscere narrationes, quae de origine urbis et eius nominis exstant.

Legimus apud Thuc. 6. 4 Strabonem 6. 286 c. Hesychium et Steph. Byzant. „ζάγκλη vel δάγκλη” apud Siculas idem audivisse ac apud Romanos verbum „falx” i. e. ensis hamatus vel falcatus. Urbem antiquis etiam nomen habuisse nusquam legimus, sed compertum habemus hoc nomen Zanclem servasse usque ad 491 a. Chr. — ut Holm Sic. Hist. p. 200 perspicue demonstravit.

Fieri non potest quin Graeci, qui creduli erant, huc venientes statim fabulas aptas ad eam portus formam finxerint easque

adhibuerint cum Hesiodi quadam fabula. Ille enim narrat ¹⁾: Saturnum aliquando Gaiæ matris rogatu patrem suum Uranum, cum ille Cyclopes et Centimanos sibi molestos e caelo expulisset, falce pudenda praecicisse, quae postea cum falce abiecit. Huc abiecit Graeci crediderunt, quia portus forma falcis instar erat. Probat ea narratio Saturnum deum crudelissimum fuisse et Zanclem — cuius originem vinculo quodam iunctam fuisse cum mytho Urani et Saturni supra statuimus — remotissimis temporibus conditam esse. Eo magis tamen, quae apud Hesiodum legimus, pertinent ad urbem eiusque historiam, quia ista Saturni informatio non modo apud Graecos inveniebatur sed etiam apud alios, quod magni momenti est roganti quinam urbis primi incolae fuerint.

Axt enim, qui hanc rem perscrutatus est, docet eius modi fabulam exstitisse apud Phoenices de deo Baal vel El, cuius eadem informatio erat — ut tradunt — quae Saturni apud Graecos ²⁾. Revera hae re diiudicanda gravioris momenti sunt quae legimus in fragmentis libri „Sanchuniathon” Philonis Byblensis Grammatici qui vixit tempore Hadriani. Ille enim omnia, quae de antiquissima Phoenicum religione olim a sacerdote quodam Phoenicio Sanchuniathone diligenter conquisita erant, collegit atque in Graecum sermonem versa edidit. Fragmenta huius libri servata sunt ab Eusebio in praeparationibus evangelicis, ubi legimus: „ἔτι τριακῶστω δευτέρῳ τῆς ἐαυτοῦ κρατήσεως καὶ βασιλείας ὁ Ἥλιος τοῦτ' ἔστιν ὁ Κρόνος Οὐρανὸν τὸν πατέρα λοχῆσας ἐν τόπῳ τινι μεσογείῳ καὶ λαβὼν ὑποχείριον ἐκτέμνει αὐτοῦ τὰ αἰδοῦα.”

Paulo supra in eodem libro legimus Saturnum olim Minervae

1) Theog. 139—186.

2) Cf. de fabulae origine Phoenissa Mövers, Spuren phönizischer Niederlassungen an der Ostküste Siciliëns I. p. 306.

et Mercurii iussu, „ἄρπην” fabricatum esse ut patrem regno expelleret. Nunc id agitur ad utrum horum populorum — Graecos an Phoenices — fabula magis conveniat. Inde enim deduci potest uter populus primus in his regionibus moratus sit.

Quattuor res ad eam quaestionem solvendam magni momenti sunt.

I. In Graecia antiquitus Saturni cultus rarus fuit et mox obsolevit.

II. Nusquam nisi in Asia tam crudelem Saturnum cognovimus.

III. Demosth. Timokr. § 26 dicit „τὰ Κρόνια” Athenis dies festos in honorem Saturni esse.

Paus. 6. 20. 1. narrat sacra facta esse huic deo Olympiis in Elide in monte Kronione.

IV. In Graecia „οἱ ἐπὶ Κρόνου” trita locutio erat idemque significabat ac „homines saeculi aurei” et alio loco „deorum vitam viventes” 1).

Ut insuper argumentum ex contrario hoc loco valeat Phoenices semper dixisse et scripsisse constat de Saturni regno immani et crudeli 2). Haec omnia posita et probata accurate qui considerat paulatim facile intellegere potest mythica, quae ad Saturnum pertinent, quamvis a Graecis ficta videantur, ab iis quidem allata esse ad Siciliae oram, eo tamen iam antea a Phoenicibus introducta fuisse.

Cum Cadmus iam Phoenicum copias in Thebas adduxerit et Aonas deprecantes et supplicantes manere et cum Phoenicibus permisceri facile passus sit, antequam Cadmeam oppidum condiderit 3), perspicuum est Phoenices iam antiquissimis tempo-

1) Th. Berk. Comm. att. de reliq. com. antiq. p. 188 sqq.

2) Movers. Die Phönicier p. 683. II.

3) Paus. 9. 5. 1.

ribus — multum ante Hesiodum — in Graeciam mediam venisse, quod sane multa in religione Graeca immutasse non nimis audacter conicere licet ¹⁾. Haec si admittuntur — longum est de ea re amplius disserere — forsitan concludere liceat Hesiodum, qui in secundo suo carmine Saturni saeculum aureum cecinit ²⁾, loco supra laudato incaute fabulam a Phoenicibus fictam inseruisse.

Ante Phoenices autem et Graecos tertius populus in Siciliae oris ad Septentrionem et Orientem spectantibus habitabat, Siculi scilicet, qua re quaerendum esse videtur, quae horum sit Saturni informatio? Quod qui sciscitatur meminerit eiusdem gentis esse Siculos ac Romanos et olim in Latio habitasse, verisimile igitur esse eundem Saturni cultum eos habuisse ac Latii populum Saturnumque cognovisse ut deum probum, iustum, hominibus propitium, qui cum Ope sorore et simul uxore sedula et humana agriculturam una cum bonis moribus homines docebat. Iidem quidem initio urbisermonem patronomen Zanclos dederunt non tamen commenta illa reputantes sed portus faucibus formam respicientes. Postea ex iis qui primi eo adveniebant istam Saturni informationem excipiebant, quae non valde discrepat a Phoenicum religione. Ita fit ut antiquis temporibus Saturni diversae ac variae informationes essent:

Altera in Italia ac Graecia, ut versuti ³⁾ ac humani.

Altera apud populos barbaros, ut crudelis et hominibus infensi, ita ut conferretur cum Baal-Moloch, deo isto Semitico.

Facile autem intelleget Zanclosenses Saturnum ut deum tutela-

1) Duncker. *Gesch. des Altert.* V. p. 308. Preller I. p. 42.

2) Hesiod. *Opera* 109 sqq.

3) Hom. *ἄγκυλομήτης*. II. Δ. 59.

rem coluisse qui imprimis secum reputat Saturnum nusquam quidem nisi apud Phoenices *crudelem* informatum esse, ubique tamen *severissimum*, interdum vero tam severum ut a matribus, si peccarent, unicum puerum et a viris mortem voluntariam ¹⁾ posceret. Quam severitatem non est cur nimis miremur, si legimus Hesiodum in Theog. 452 sqq. ²⁾, ubi enim Saturnus omnes suos liberos, — praeter Iovem quem Rhea servavit — quia secundum oraculum quoddam eum aliquando regno spoliaturi essent, necare iubet, ut regnum patrium ruina intentatum sustineret ac conservaret, qua re ostendit ne suis quidem liberis parcere si maligni esse auderent. Pindarus ³⁾ et Hesiodus eum postea mortuorum umbras in felicium insulis una cum Rhea Rhadamanthoque regnantem memorant. Severum sed non crudelem fuisse ex his locis apparet.

Quidquid autem primi huius urbis accolae de Saturno sentirent, constat eius cultum apud eos floruisse cui putabant salutem debere.

Uranus enim multa ostenta et portenta procreaverat, montes flammas eructantes, Aetnam Strongylem Scyllam Charybdim Titanos Cyclopes alios quorum robur deus fregerat, qui insuper pudendis exsecatis patrem nova gignere prohibuerat. Quam ob causam omnes qui in regionibus versabantur, ubi haec monstra apparere solebant, grato animo Saturnum deum tutelarem salutabant, imprimis Zancylaei qui ei portus falcem debebant; portus enim percommodus et maximus in tota Sicilia erat.

Quaedam etiam disserenda sunt de significatione vocabuli

1) Preller p. 36. 37. Athen 13. p. 600 A. fr. Aesch. Danaid.

2) Ch. Euseb. praep. evangel. I. 10. 40. et IV. 16. 156.

3) Pind. Olymp. II. 70/77. Hes. Op. 170.

„ζάγκλη”, cui eadem vis ac notio est ac δρεπάνω — δρεπάνη et ἄρπη (cf. Lat. sarpio: Festus 322. 10 sarpta vinea putata).

Tria loca sunt quae hoc nomine indicantur.

I. Promontorium in Siciliae ora Occidentali. (Hodie Trapani dictum.)

II. Tota insula Coreyra: Lycophr. Alex. V 761 et 869.

III. Promontorium in Achaia. (Paus. 7. 23. 4.) prope urbem Bolinam.

Incolas horum locorum putasse nomen ductum esse a Saturni scelere facile intellegitur.

Falcem inter arma fuisse quibus in bello utebantur Graeci apparet ex Herod. 5. 112 et 7. 93. et Apollod. 2. 4. 2, apud quem legimus Perseo a Mercurio falcem datam esse ut Medusam caput abscederet, attamen etiam instrumentum rusticum erat, quo utebantur agricolae ad putandas arbores et ad frumentum demetendum, Saturno videlicet necessarium erat: cf. Arnob. 3.29, 6.12 et 6.25.

Servius ad Verg. Georg. 2. 406. falcem „curvum Saturni dentem” vocat et Preller o. c. I. p. 45 tradit caput obvolutum et falcem Saturni insignia fuisse.

Iam satis autem de nominis „Zancla” explicatione ducta ab appellativo. Vocabuli originem indagantes persuasum habemus eam quaerendam esse in voce „ζάγκλη” i. e. insigne Saturni, qui hic semper colebatur. Altera autem exstat minus sane verisimilis interpretatio quae vocabulum „Zancla” ducit a nomine proprio. Quam interpretationem invenimus apud. Diod. IV. 85, qui antiqui Siculorum regis mythici nominis originem repetit. Illum Diodorus tradit olim Siculorum regem fuisse et ab eo urbem nomen adeptam esse, quia eius rogatu Orion, vir ingentis corporis, qui multa alia mira et magna molitus est, Messanae portum molibus obiectis

extruxisse dicebatur. Mythographi nihil fere tradunt de rege Zanclo. Stephanus Byzantinus ¹⁾ unus est qui s. v. *Ζάγκλη* tradit Hecataeum in nomine urbis derivando dicere: „nonnulli verbum ἀπό Ζάγκλου τοῦ γηγενοῦς ductum esse putant.” Hoc loco alia quaestio oritur, scilicet *γηγενής* quid sibi velit? Terrigenam fortasse? Hanc quaestionem e multis optime solvisse videtur Axt qui perhibet *Ζάγκλος* idem valuisse ac *ὁ Γηγενοῦς* i. e. filius hominis e terra nati quod idem est ac filius Saturni, qua interpretatione omnia inter se apte cohaerent, quod Saturnus deus est cuius insigne antiqui coloni in portus forma reperiebant et qui ideirco in his locis magis colebatur quam in Italia. Cf. Diod. III. 61. qui narrat in Sicilia ceterisque terris occidentalibus etiam suo tempore editiora loca passim „Κρόνια” i. e. Saturni castella de illo nominari et Arnob. IV. 35. qui populum sacra facere memoravit in locis quibusdam, quae ut Saturni sepulera colebantur. Cf. Holm o. c. I. 43. Ex quibus locis inter se collatis forsitan concludendum est, sicut omnes populi et gentes semper numen quoddam ut „*ἦρωα ἐπάνυμον*” habuerunt, hic quoque latere numen quoddam simile *Διὶ ἀποβατηρίῳ* vel *οὐρίῳ*. Cf. Gallo Ann. della citta di Mess p. 113.

Haec sententia maxime verisimilis esse videtur et confirmatur iis quae Axt p. 56. annot. 2 tradit: Iovem hisce nominibus cultum fuisse in multis Siciliae orae urbibus.

Quid enim legimus de Orione?

Secundum Hesiodum ingens robustus formosus heros erat, Neptuni et Euryales ²⁾ filius, Hyriei Thebarum regis alumnus,

1) Steph. Byz. s. v. memorat fontem fuisse huius nominis, attamen nusquam alibi legitur.

2) Hesiod. apud Eratosth. Catast. 32. Pherecydes (Apollod. 1. 4. 3) *θεογονία*. Th. Fischer. o. c. p. 8. tradit: Orion ist bei Hesiod Sohn des Poseidon und der Hyelos, vide adnotationem in pag. 6.

Hyriae inter Thebas et Tanagram natus. Boeotium eum fuisse patet e sua patria. Apud complures mythographos et poëtas haec de eo legimus ¹⁾. Omnia maria omnes terras, totum denique orbem terrarum peragrabat Neptuno patre suo duce et adiutore qui ei concesserat ut supra fluctus curreret ut in terra. Venandi studio insignis terras feris purgabat viribus animosus gloriaeque avidissimus, ita ut tandem, sive quod insolentius adversus comitem suam Artemim se extulit seu cum ea disco contendere voluit, scorpione necaretur et inter sidera referretur. De eius autem scelere supplicio morte memorare sufficiat non omnes auctores inter se consentire. Hic de eo sermo non est nisi quoad regis Zancli rogatu rupes in mare proiecisse et promontorium Peloridis aggerum molibus eduxisse dicitur, ut urbi Zanelae portum firmum extrueret a ventis et fluctibus tutum redderet, eodemque loco, in patris Neptuni honorem templum aedificavisse, quod religiose honorabant insulani, traditur. Nominis Orionis interpretatio etiam nunc obscura et dubia est, etsi iam multi viri docti eam quaestionem, enucleare conati sunt et etiam nunc conantur.

In antiquissimo quem habemus tam mythorum quam historiarum fonte Homero legitur *Ὀρίων*; *Ὠάριων* autem legimus apud Pindarum Nem. 2. 10. Isthm. 3. 67 et apud Corinnam fragm. 4. Hi autem poëtae de origine nominis nil habent, posteriores alii aliter interpretantur.

Strabo X. 446 haec fere narrat: *Ὀρεὸς κεῖται ὑπὸ τῷ Τελεθρίῳ ὄρει. . . . διὰ τὸ τοὺς Ἑλλοπιεῖς ὄρειους εἶναι τοὺς προοικήσαντας ἐτέθη*

1) O Müller im Rh. Mus. 1829. S. 22/39. Virg. Aen. X. 763. Ovid. Ars Amat. I. 731. Hor. Od. III. 27. 17. Epod. XV. 7. Theocr. 7. 53. Od. 5. 121. 41. 310. Apollod. I. 25.

τοῦνομα τοῦτο τῇ πόλει δοκεῖ δὲ καὶ ὁ Ὀρίων ἐνταῦθα τραφεῖς οὕτως
 ὀνομασθῆναι (in Euboea) cf. Hom. Od. XI. 572. Ibi enim — ut
 Diodorus IV. 85 narrat — habitavit.

Aliam ludicram paene interpretationem ¹⁾ pro seria laudat
 Hyginus in fab. 195, ubi legimus: Iupiter, Neptunus Mercurius
 in Thraciam ad Hyrieum regem in hospitium venerunt, qui ab
 eo cum liberaliter essent excepti, optionem ei dederunt, si
 quid peteret. Ille liberos optavit. Mercurius de tauro, quem
 Hercules Ypseo immolarat, corium protulit. Illi in eum urinam
 fecerunt et in terram obruerunt, inde natus est Orion (cf.
 Astronomicon II. 34).

Buttman Lexicologicus ²⁾ ο metri causa mutatam esse in ω
 et ο modificationem fuisse pro F putat, unde concluditur „*Φαρίων*”
 idem esse ac „*Ἄρης*”.

Cf. Schol. ad Lycophronem V. 328 *Κανδάων* = Ὀρίων.

” ” ” V. 938 et 1410 *Κανδάων* = Ἄρης.

ex quibus duabus adnotationibus iterum elici potest Orionem
 eundem esse ac Martem.

Vitiosa tamen ea interpretatio videtur.

Nusquam enim locus adest ubi Ἄρης cum F legitur neque ubi
 F in ο mutata est necnon nusquam, quod sciam, invenitur Ὀαρίων.

Si praeterea Orion idem fuit ac Mars, quae est causa cur
 Hesiodus et alii tradant eum Neptuni filium esse? Apud Hesiodum
 in Theog. 922 legimus Martem Iove et Iunone ortum esse cf.
 Ilias V. 889, neque posthomeriis temporibus nisi ut deus belli
 apparet.

Palaiaphatos *περὶ ἀπίστων* V narrat „ἐγένετο ὁ Οὐρίων οὕτως ὀνο-

1) Nimisne andacter conicio re vera a comico primitus profectam esse?

2) „Über die Entstehung der Sternbilder auf der Griech. Sphäre” in Abh.
 der Berl. Akad. der Wiss. 1826.

μασθεις διὰ τὸ οὐρῆσαι τοὺς θεούς, ἔπειτα κατ' εὐφημισμὸν Ὀρίων cf. Pindarus apud Strabonem et Hyginum ed Christ. p. 276, Ovidius Fasti V. 493—544.

Mutantur in lingua Boeotica vocales ω in ou etiamque ou in u , quam ob rem cur conati sunt Ὀρίων (Οὐρίων) Ὑρία et Ὑριεύς inter se comparare.

Servius ad Verg. Aen. X. 763: cui nomen ab urina impositum ut Οὐρίων diceretur, quod Dorica lingua mutatum est, ut ou diphtongus in ω verteretur.

Isidorus Orig. III. 70: Dictus Orion ab urina, id est inundatione aquarum. Tempore enim hiemis obortus mare et terras aquis et tempestatibus turbat.

Lactantius ad Stat. Thebaïd VII. 257: Ex urina nomen accepit, οὐρων enim Graece urina dicitur.

Eustathius ad Hom. Od. V. 274 haec de suo doctrinae thesauro promit:

ὄρα· ὅπερ ἐστὶν ἡ εὐμορφία

ὄρα· ἡ φρόντις

radicem verbi *δαριζειν* tertio loco reperit in Ὀρίων.

Cauer „nomen Orionis in quo i vocalis antiquitus brevis fuit apud Homerum non Ὀρίων esse debet ex vetustiore forma Ὀαρίων, id quod egregie docuit Nauck (Bulletin de l'Académie impériale des Sciences de St. Petersburg 17. p. 199 sqq.). Ita contra codicum auctoritatem scripsi Ὀαρίωνα ε. 121. 274" 1).

Alii recentiores, omnibus mythicis quae ad huius nominis originem pertinent omissis, vocabulum ab appellativo ducere conantur a radice $\delta\rho$ verbi *δρυνμι*, secundum quam interpretationem

1) Fortasse provenit ex οὐρον pro οὐρος, οὐρος sc. idem est ac ventus secundus cf. Zeus ὕριος.

Ὀρίων est molitor sive auctor e. g. ventorum secundorum et adversorum (Neptuni et Euryales filius) qui navigationem adiuvabat portis tutis exstruendis et templa condebat, quibus homines deos colerent, feras expellebat¹⁾ et persequebatur usque apud inferos (Hom. Od. XI. 572). In venationibus semper eum comitabatur canis venaticus Sirius et in sideribus ut etiam in nummis depinctum eum videmus cum lepore ad pedes suos adiacente.

Axt in opere suo iam saepius laudato aliam affert eius modi paene ad verbum cum hac congruentem fabulam²⁾ fictam apud Phoenices inventam qua de causa putat eos quoque talem deum coluisse et eius cultum in Siciliam introduxisse, ad quae demonstranda nobis legenda affert quae leguntur apud Georg. Kedrinum (Hist. comp. c. 15 J. Bekker): „*ἐγεννήθη ἐκ τῆς Φυλῆς τοῦ Σὴμ' ἀνὴρ ὄνομα χοῦς Αἰθίοψ, ὃς ἐγέννησε τὸν Νεβρόδ τὸν τὴν Βαβυλῶνα κτίσαντα τὸν καὶ Ὀρίωνα ἐπικλήδεντα — οὗτος ἔσχε γυναῖκα καλουμένην Σεμίραμιν — et in cap. 14. τὸν Νεβρόδ ἀποθεώσαντες οἱ Ἀσσύριοι ἐν τοῖς ἀστροῖς τοῦ οὐρανοῦ ἔταξαν καὶ καλοῦσιν Ὀρίωνα οὗτος κατέδειξε τὴν κυνηγετικὴν· διὸ καὶ τὸν καλούμενον κύνα ἄστρον τῷ Ὀρίωνι συνῆψαν.* Qua ex narratione Holm I. p. 95 Nebrod eundem fuisse ac Nimrod concludit. Cf. Mos. I. 10. 8. 9 et Chron. I. 1. 10.

Fast. Sic. seu Chronicon Alexandr. p. 85:

Chus, qui creavit Nimrodum (quem vulgo Nembrot vocamus,) gigantem Babylonis conditorem, quem Persae aiunt in caelitem ordinem relatum in astris apparere, quem vocant Oriona.

Cf. Cedrenus in Compend. Hist. p. 12. Nimrodo Assyrii divi-

1) Lewy apud Autenrieth s. v. *Ὀρίων* per linguam Hebraicam nobis monstrat significare „Schwinger der Kraft.”

2) Cf. Mövers I. 309.

nam adscribunt naturam inter sidera caelestia collocantes et Orionem vocantes.

Gen. X. V. 8. Chus genuit Nemrod: ipse coepit esse potens in terra, et erat robustus venator coram domino. Cf. etiam Mövers I. 471.

Satis haec omnia probant Orionem eundem esse ac Nimrodum. Quod vel ex eo patet, quod quae de altero perhibentur in alterum accurate conveniunt. Gigas fuit Nimrodus, fuit et Orion. Venationibus ille studuit, hic eidem exercitationis generi addictus fuit. Orion gloriam avidissime consecrabatur, Nimrodus etiam nihil magis quam nominis immortalitatem desiderabat. Orion architecturae operam dabat, urbemque et portum Zanclaeum absolutebat, Nimrod similiter urbem et turrem Babylonis condebat. Denique uterque inter deos relatus, uterque inter stellas locum sortitus est. Tempora porro utriusque consentiunt. Nimrodus patriarcharum aetate vixit et nomen Orionis caelesti signo impositum Iobi temporibus antiquius est, quia legimus Iob. 9. A 9. „qui facit Arcturum et Oriona et Hyades et interiora Austri.”

Eo magis probabilia haec videntur quia ex iis intellegi potest cur montes a promontorio Peloro ad Siciliam vergentes Occidentalem „τὰ Νεβρώδη ὄρη” vocentur ¹⁾. Cf. Strabo VI. 274. Quendam enim Nebrod — Semiticum nomen est — in his regionibus versatum esse non incredibile est.

Cui opinioni non parvam vim affert Phoenicum fabula, qua

1) Sunt autem qui vulgarem derivationem praeferunt, qui hunc montem a damularum copia Nebrodes appellatum esse perhibent. Cf. Solin. Polyhist. V. 41. Nebrodem damulae et hinnuli gregatim pervagantur, inde Nebrodes.

Sil. XIV. 237. Nebrodes *gemini* nutrit divortia fontis (sc. Himerae), Quo mons Sicania non surgit ditior umbra.

narratur olim Nimrod et Semiramim venatos esse in ea regione; his enim Zanclaei servata praecipua fabulae parte suos Oriona et Artemim, quorum cultus in eorum patria Boeötica floruisse supra diximus, substituerunt, qua in re diiudicanda nobis argumento est nomen urbis Artemisii sitae in insulae ora Septentrionali apud Mylas. Alia gravissima causa cur Orion in his regionibus ubique coleretur nos ducit ad conditionem urbis, quippe qui ab eodem populo genus suum duxit ac antiquissimi Zanclae coloni, qui post Phoenices huc veniebant: erat enim natio Boeotus. Quae res — iam supra pro facto statuta — amplius disserenda est.

Omnibus mythicis et fabulis fictis de urbis conditione memoratis historiae ipsius velut vocem audire et ad certas rerum origines animum vertere interest.

Graecorum prima in Sicilia colonia. Urbis adiacentia.

Crebrae coloniae, quas Graecorum populus ubique deducebat, eorum indolem servarunt scilicet morum et humanitatis divulgandorum ut barbarorum potentiam et licentiam sua auctoritate perfringerent. Bella civilia et interneciva, discordiae intestinae, propter civium numerum vitae angustiae et praesertim insitum iis studium pervagandi et peregrinandi ut libere vivere possent eos saepe impellebant ut patriam suam relinquerent, cuius rei testimonium est proverbium „πατρις γὰρ ἐστὶ πᾶσι ἵνα πράττει τις εὖ”. Itaque in omnibus fere barbarorum¹⁾ terris fertilibus et situ opportunis Graecorum colonias invenimus, quae caelo mercatura navigatione optima erant conditione. Duae imprimis magnae gentes — Dores et Iones — in ea re principem locum obtinebant et urbes Miletus Corinthus Chalcis in Euboea Megara Rhodus, aliae suo coloniarum numero innotuerunt, quarum tres — postremo memoratae — multas in Siciliam deduxerunt colonias. Ora insulae quae ad Orientem spectat et Graecis navibus proxima erat primas colonias accepit et imprimis eae, quae portum habebant magnum et percommodum ut Naxos, Syracusae et Zancle nostra. Ea enim sicut Italiae Meridionalis ora simillimum habebat litus terrae patriae: cf. Schubring qui disserens de Siciliae

1) Cic. de republ. 2. 4.

coloniis haec fere dicit: „Semicirculi instar fertilis planities in interiorem terrae partem late patens hospitali maris sinui adiacet, portus aut stationes ubique inveniuntur. Flumina plurima aquam praebent planitiei ipsi, circumdata montium corona ventorum nimiam vim arcet, quae tamen neque ita alta neque ita lapidosa est ut agriculturam non admittat.” Syracusae Megara Leontini Catana in ora Orientali, Camarina Gela in Meridionali, Eryx Drepanum Panormus Solus Himera Mylae in ora Septentrionali omnibus eis commodis praedita erant, quorum quidem Zancle multis carebat — ut infra apparebit — sed portus percommodus et permagnus causa erat cur plerisque antecelleret.

Siculum fretum intranti a parte Septentrionali primum a dextra est promontorium Pelorum ¹⁾, paulum ad Meridiem pergenti a sinistra promontorium Caenyn, quae ambo hodie e longinquo iam aspiciuntur, quia pharus ibi et speula instructi sunt. De intervallo inter ea promontoria non conveniunt scriptores. Strabo Plinius Diodorus Thucydides alii aliud dicunt, inter quos autem omnes Thucydides maxima auctoritate esse videtur, qui narrat viginta stadiorum fuisse.

Pelorum promontorium terra plana et arenosa est; quidquid de ea regione poëtae canunt, ornarunt flosculis poëtici ingenii. In hoc promontorio duo lacus sunt aquae salsae ²⁾ piscium pleni; loca adiacentia feris abundant, ut legimus apud Solinum, qui

1) De diversis scribendi modis et derivationibus cf. Axt. Haec modo memorabo secundum rhetorem Batonem (apud Athen 14. 45. 639 c.) in Thessalia „Πελώρια” diem festum fuisse in honorem Iovis Pelori, qui dicebatur Ossam ab Olympo abruptisse et eo modo vallem Tempen effecisse. Quia autem huius loci natura valde cur illa congruit et nomen Rhegium tale factum non excludit, hoc nomen Promontorio indidisse coloni primi feruntur.

2) Pontano Grande, pontano Piccolo hodie dicti, qui paulatim evanescent (cf. Baedeker).

tertium etiam lacum commemorat, cui multa mirabilia et horribilia ascribuntur ¹⁾, qua in re autem erravisse eum nobis demonstrat Michaëlis in libro suo ²⁾ „Die Paliken, Ein Beitrag zur Würdigung Alt-Italischer Cultus” ³⁾. Ara autem, quam Solinus eo loco memorat fuisse videtur „τὸ τέμενος τοῦ Ποσειδῶνος τιμώμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων διαφερόντως (Diodorus IV. 85) et exstructa erat in promontorii fine, ubi Pelori pharus quoque surrexisse maxime verisimile est. Strabo enim III. 5. 5 c. 171 in utroque litore turrem vel columnam turris forma intra confinia loci sacri fuisse narrat ⁴⁾. Prope eas turres Neptuni templa aedificata erant ⁵⁾, de quibus et alibi mentio fit. A promontorio ad Occidentem versus terra vehementer exurgit et inter Solis occasum et Meridiem montes se extendunt, qui quovis loco pari fere intervallo a freto absunt, et ab Orientali Occidentem versus pergunt. Nomen iis est Nebrodes montes ⁶⁾. Prima pars e regione

1) Cf. Siefert. pag. 14.

2) Dresden 1856. 8. Progr. des Blochm. Inst. Palikes sunt fratres filii Iovis et Thaliae sivi Vulcani (Hadrani) et Aetnae cf. Holm. o. c. I. 75.

3) Solinum saepius in errore esse nobis demonstrat Michaëlis, multa enim hausit ex Plinii N. II., cui — Michaëlis quidem sententia — in omnibus, quae de ea regione narrat, magna fides non habenda est.

4) Multa templa antiquissimis temporibus mari adiacebant e. g. Apollinis Archegetis in Naxo, Iovis in Syracusis, Neptuni in Paesto.

5) Etiam ultra fretum Neptuni fanum erat et regio illa „Poseidonion” vocabatur.

6) De situ et hodierno huius montis nomine nondum Historici et Geographici consentiunt. Quorum alii centum viginti passuum milia eum Messana abesse et hodiè Madoniam dici suspicantur (Fazell. Dec. I. 10. 1. Cluver Sic. Ant. II. 10 et Axt.)

Alii montem in tractu Messanensi, qui corrupte Dinnamarre a voce Latina damarum, quod genus in eo commoratum est, dicitur, eum esse volunt. Josephus Carnevallus in descr. Sic. II. p. 180.

Etiam alius (Placa di Reyna) exstitit, qui eundem montem quasi bimaribus, a binis videlicet maribus, quae spectat, Ionio nimirum et Tyrrheno, illud nomen accepisse coniecit. Baedeker nobis fert Dinnamari altitudine 1430 metrorum esse. Vetustius nomen apud Strab. VI. 274 „τὰ Νευρώδη ὄρη” corruptum est ac iam emendatum.

Solinus τὰ Νεβρώδη ὄρη e. a.

et templo Montem Neptunium nomen habet. Arduus non est et facile superatur, quam ob rem multum commeatum praebebat cum ora Septentrionali, de qua re plura infra apparebunt e Mylis conditis quae in ea ora propugnaculi instar hostem a Zancaeorum tergo arcebant. Proximo iugo „Mons Myconius” est nomen, quod iugum continuatur monte Tauro. A monte Neptunio inter Solis ortum et Meridiem Mons Chalcidicus extenditur et inter ortum Solis et Septentriones Synis (Εὐσεΐς apud Diod. XXII. 15), qui montes ardui sunt et multos habent torrentes et valles (Fischer 8. 9). Ubi Synis litori appropinquat ligula falcis forma in mare prosilit et portum opportunissime situm iam supra indicatum Septentriones versus efficit. Eam falcem Fischer validis geologicis argumentis demonstrat ortam fuisse e luto a torrentibus magna cum vi de montibus in mare eiecto, quod longe per imum mare fluctibus ad Septentriones provolvitur, dum maris vi atque impetu, qui ventis violentibus efficiuntur, reiectum est et paulatim cumulabatur. Ligula erat longitudine octingentorum latitudine centum pedum, portus percommodus erat ad classem, vel quae plus quam sexcentis navibus constabat excipiendam et profunditate quadraginta cubitorum erat. Toti illi orae apud Graecos nomen Ἀκτὴ erat et ubi ligula in mare prosilit iam antiquissimis temporibus Zanca sita erat. Apud Ptolemaeum III. 4. 2. legimus ad occidentem Messanae finium terminum fuisse Ἐλικῶνα ποταμὸν hodie Oliveri dictum, Cluverius, autem Λόγγανον ποταμὸν (apud Polyb. I. 9) aut Λοίτανον (apud Diod. XXII. 13) nunc Monforte dictum fuisse contendit, quorum hic verum sentire videtur.

Error in quem Ptolemaeus hoc loco incidit exstitisse videtur ex Herodoto VI. 22, ubi Zancaei Iones Asiaticos impellunt ad urbem condendam in „Κελὴ Ἀκτὴ” qua ex re tamen non

concludendum est hanc oram, quae Occidentem versus longius abest, Zancaeorum territorii fuisse. Hi enim valde desiderabant in hac orae parte Graecam coloniam, quae tamquam propugnaculum contra Siculos esset. Eo vero tempore Mylarum territorium non longius extendebatur Occidentem versus quam ad *Λόγγανον*. Ab Helicone inter solis ortum et meridiem pergentes ad fauces Tauromenitanas, quas Holm secundum App. V. 109 easdem esse dicit ac „*Κόκκυνος ἄκρα*,” et inde Septentriones versus pervenimus ad *Ἀργεοννον ἄκρον* (Ptolem. III. 4 9.) inter quae *Φοῖνιξ* oppidulum situm erat. Ora Peloritana continuatur ora Tauromenitana quarum orarum magna pars nautis infesta „*Coprium Litus*” vocabatur. In ora Septentrionali (Ptolem. III 4. 2) *ἄκρον Φαλακρόν = Φαλάκριν* promontorium erat hodie Capo Raso colmo, quod sterilissimum esse nomen ipsum pro argumento est.

Inde autem qui ad meridiem se vertit regionem adit fertilissimam, ad Occidentem vero pergens statim parvae paeninsulae in mare prosilienti obviam it cuius in angustissima parte iam antiquissimis temporibus oppidulum condebatur, cui Mylae nomen erat vel *χερρόνησος*, quod sane nomen etiam totius ligulae erat. Tota illa regio uberrima est et semper adhuc incolae multam faciunt mercaturam. Ab oppidulo nomen ei est *τὸ Μυλαῖον πεδῖον* vel *ἡ Μυλαῖτις χώρα*: Polyb I. 9 et 23. Navibus tutum ibi statio praebebat refugium quamvis venti interdum furere solerent; portus autem quem nonnulli commemorant non exstitisse videtur.

De nominis origine valde inter se dissentiunt scriptores, ut infra videbimus. Verisimile tamen est hoc nomen ut alia illa Scylla Pelorus ei regioni iam ante colonias Graecas datum,

1) Ducetius princeps Siculus eo loco multo post coloniam constituit, cui Kalakte nomen erat, ut infra videbimus.

originem itaque habere apud Phoenices, qui remotissimis temporibus Siciliae oras habitabant: cf. Holm p. 81 ubi fere haec legimus: Locorum nomina in Sicilia insula sine dubio ex Phoenicia oriuntur origine, tam quae antiquissimis temporibus iam exstant quam quae in insulae partē ad ortum Solis vergente inveniuntur, quia in Occidente postea multas colonias a Carthaginiensibus deductas esse constat. Loci naturam supra descriptam invenimus apud App. B. C. V. 107—108, ubi pugnam navalem describit inter Vipsanium Agrippam et Sextum Pompeium anno 36° a. Chr. quae descriptio consentanea est cum illis quae in lucem proferebant effossiones anno 1835° ibi factae. Ab ligula illa meridiem versus ad montes Nebrodes iugum „Thorax” dictum decurrit, quod posterioribus temporibus innouit, quando Hiero copias circum Thoracem ducens Mamertinos profligavit. Ab Occidenti Mylarum parte fluit *Λόγγυρος* (Polybius) vel *Δοίτανος* (Diodorus) quod flumen in mare effluit et Mylarum territorium terminat. Ortum solis versus parvum flumen in mare effluit, cui secundum Vibium Equestrem „Phacelinus”, secundum Ovidium „Melas” nomen est, nunc Nocéto, cuius ad ostium Dianae templum erat cum agri portione deae dedicata, „τό Ἄρτεμισίον”, quod fanum „Dianae Phacelitis” erat ¹⁾.

Quo modo eius deae cultus hic orta sit incertum quidem est, eorum tamen, qui huius cultus originem quaerere conati sunt, a vero non multum abhorreere videtur Scholiastes ²⁾ in Theocritum qui dicit ab Oreste Dianam Phacelitim cum suo cultu a Rhegio in Siciliam translata esse, Rhegini igitur erant qui primi in ora

1) *φακελίτις* derivari potest et a voce *φάκελος* (Her. IV. 62) et a voce *φάκελλος* (Thuc. II. 77. 3.). A voce Latina „fascis” prorsus abhorret cf. Sil. It. XIV. 260: sedes Facelina Dianae.

2) Prol. VI.

Septentrionali stationem exstruebant, qua statione postea oppidulum oriebatur (Ἄρτεμις Rhegii vocabatur Ἀργόδεσμη)¹⁾. Eo ipso loco vel iuxta eum locum Agrippam Pompei copias profligavisse nobis narrat Siefert Appiano auctore. Inter Artemisium et Phalacriion parva urbs erat Νεύλοχος, cuius situm accurate definiri non potest.

In monte Chalcidico multae vineae erant quae vinum edebant generosissimum, quod vinum tantae praestantiae erat ut quartum locum post Falernum Chium et Lesbium adeptum sit inter ea quae in publicis Imperatorum Romanorum epulis maxime desiderabantur. Nomen ei erat „vinum Mamertinum”: cf Strabo VI. Athenaeus I qui leve suave validum vocat, Plinius XIV. 6, Martialis XIII. 114. Quin etiam post illos montes, qua solem Occidentem spectant, latus ille ager patebat, quem vulgo planitiem Mylensem vocant. Quod vero solum maximam frumenti copiam urbi suppeditare posset nisi maioris lucri causa vitibus et moris, quarum foliis bombyces nutriuntur, consitum esset. Tanta enim sericorum copia²⁾ hic etiamque nostro tempore conficitur, ut in multas Europae partes quotannis inde transmittatur. In Siciliae oris multi pisces capiebantur, inprimis conchae et in freto Siculo xiphiae et stelliones³⁾.

Coelum per totum annum mitissimum est,⁴⁾ nam cum aestivi calores maxime saevire incipiunt, venti gelidissimi sub vesperam anhelantes recreare raro omittunt. Quo naturae beneficio Messana prae reliqua insula gaudere videtur, quod in hoc angusto interstitio continuos inter Italiae et Siciliae montes aer crebrior

1) Paus. III. 16. 11.

2) Placa di Reyna I. 147.

3) Strabo I. 2. 16.

4) d'Orville p. 9.

et impetuosior modo versus Tuscum modo versus Ionium trahatur mare, nec nisi ab ipsa marina aura temperatus urbem praetervehatur.

Terrae concussiones, quae Siciliae saepe minabantur, in freto Messanae apud scriptores non commemorantur ¹⁾. In ora Orientali multi torrentes summa aestate arescentes montes valles passim rupes usque ad maris litus se extendunt, quae omnia hanc oram parum aptam reddebant quae habitaretur. In via strata a Messana ad Tauromenium oppidulum erat cuius nomen statuere non contigit quod tamen idem fuisse apparet ac illud quod hodie Tamaricum Palmas ²⁾ vocatur et antiquis temporibus terminus erat inter Messanam et Naxum, postea inter Messanam et Tauromenium. In describendis regionibus Messanae adiacentibus perspicuum est territorium urbis vastum fuisse quippe quod tendebat a mari ad mare ³⁾ cum parte Septentrionali orae Orientalis. Sine dubio ponere possumus urbis maximam partem aedificatam fuisse in montibus, qui montes per totum fere territorium se extendunt ad mare, quam ob rem colonis nulla alia in loca in ea regione aditus erat nisi in portum et quae ei adiacent. De Messaniensis territorii longitudine apud scriptores nihil fere legimus, pauca modo nobis praesto sunt quae inveniuntur apud Polybium I. 11 et Diodorum fragm. 23 fr. I. 3. Dind.: Hieronem initio primi belli Punici e Syracusis copias admoventem ut cum Carthageniensibus Romanos in Messana obsideret castra fecisse in urbis parte Meridionali apud montem Chalcidium, qui eam ob

1) Cf. Str. VI. 1. 6.

2) In Itinerario autem legitur Tamaricum Palmas idem oppidulum esse ac antiquum *φοίνιξ*.

3) Secundum Holmium Messanae territorium quinta et vicesima pars totius insulae fuit. 18:462.

causam urbem, in parte quae ad Meridiem spectat, terminare credebatur ¹⁾. Iugum quod hodie a castello Gonzagua ad urbem extenditur idem esse ac montem qui illo tempore Chalcidium vocabatur, putat Axt quocum Baedeker consentit. Duae viae stratae fuerunt, quarum altera Septentriones versus Pelorum petens via Pompeia vocabatur, quae — ut Cic. Verr. V. 66 dicit — facta est anno 82^o a. Chr. n. tempore quo Romani in insula versabantur, alteri Occidentem primo versus inde praeter oram Septentrionalem vergenti, nomen erat viae Valeriae. Cf. Cluv. Sic. p. 52: „Valeria via nulla alia fuit quam qua etiam nunc a Messina per Mylas Tyndariden Cephaloeden Thermas Panormum et Drepanum itur Lilybaeum usque”... Plura de urbis territorio et ei adiacentibus regionibus quae edantur non habemus ob eam solam causam quod non est ubi alia et accuratiora inveniantur. Urbs, nomine saepius mutato, semper tamen eodem loco fuisse constat. Fuerunt vero qui Zanciam et Messanam prorsus differre, Zanciam funditus a Messeniis eversam esse ac mille ab ea passus distantem novam urbem, quam Messanam dixerint, conditam esse contenderint ²⁾. Verum hos probatissimi Graecorum Historici Herodotus Thucydides Diodorus Strabo Pausanias refellunt, a quibus communi consensu traditum accepimus Messenios Zanciae non situm sed nomen mutasse, Messanae vocabulo urbi indito. Eadem urbs itaque est Zancle et Messina, quae duobus insignita fuit nominibus

Qualis forma urbis Graecorum Romanorumque imperiis florentibus fuerit, licet quantam potui maximam impenderim operam, reperire mihi non contigit, neque autem urbis historiam poste-

1) Cf. Holm o. c. p. 334. Diod. λέφον hunc montem vocat.

2) Plac. Caraffa. Della citta di Messina p. 21.

riorem reputanti mirum fecit tantis tamque frequentibus tempestatibus vexatum locum pristinorum incolarum vestigia nulla fere conservasse. Eaue eo celerius evanuisse crediderim, quia singuli eversores urbis territorium utilitatibus suis accommodantes novis structuris veterum rudera solo aequarunt. Idque non solum antiquis sed etiam mediaevalibus accidit, cum Saraceni Normanni Richardus Angliae rex alternis vicibus urbem dicionis suae fecerint et suis aedificiis oppidi speciem mutaverint. Saxa igitur et loca non loquuntur, scriptores numquam privata domicilia curantes de templorum modo situ et forma quaedam nobis tradiderunt, quae omnia autem exstructa sunt iis temporibus quibus nomen iam mutaverat Zancla. Messenii, qui postea hic habitabant, cum antiquioribus urbis incolis de communi sententia collapsa Zanclae moenia instaurarunt, urbis iam satis pulchrae limites protulerunt et privatis non tantum verum etiam publicis aedificiis, imprimis deorum fanis, Messanam exornarunt.

Inter haec fana templum Herculis a conditore Manticlo Herculis Mantikli dictum prae ceteris eminebat¹⁾. Hodie eodem fere loco, quo hoc templum fuerat, aliud eiusdem generis Iohanni Baptistae exstructum est. Iisdem Messeniis templum Castoris et Pollucis eo loco quondam collocatum, quo nunc fanum sanctissimae Trinitatis conspicitur, deberi crediderim, nam Messenii Peloponnesiacos Castorem et Pollucem, quos cives suos credebant, maximo honore prosecutos esse constat²⁾. Pari prope coniectura inducimur ut Messenios patria a Spartanis eiectos, columellam Graecam — quae olim Messanae surgebat — inscriptione notatam „Aesculapio et Hygiae servatoribus urbis tutela-

1) Paus. IV. 23. 10 dicit hoc templum extra urbem fuisse. Fortasse suo tempore haec ita fuisse verisimile est.

2) Paus. IV. 31. 7.

ribus" secum abstulisse aut in Sicilia confici curasse existimamus. Aesculapium enim et Hygaeam haec gens inprimis observabat ¹⁾. Multo vero ante remotissimis temporibus Orionem celeberrimum Neptuni templum in Peloro exstrui curavisse apud scriptores legimus et supra iam memoratum est. Quod templum hodie oratorium est et fraternitate Catalanorum gaudet ²⁾. Veneris quoque aedes erat quae hodie virginum monasterium sororum S. Catharinae est ³⁾. Olim templum Iovis exquisito structurae genere extra muros in fanis, quae vetustas nondum deleverat, quoque numerabatur, unde apparet antiquos colonos quoque in montibus aedificasse. Hodie prolatis urbis finibus intra eius pomoerium nobilissimum S. Gregorii coenobium eo loco cernitur. Vicinum huic quondam erat aliud Veneris templum in quo meretrices donis et sacrificiis hanc deam sibi conciliare studebant, quod templum, cum via dilataretur, in exiguam aediculam, cui S. Mariae de Conceptione nomen, conversum est. Cf. Samperius V. 15. Longuis ab urbe in litore Pelorum versus Dianae delubrum situm erat: Fazellus I. II. 1. Hodie penitus dirutum est, nec lapis quidem exstat sed paulo infra locum, ubi olim stetit, nunc aedicula est Mariae virgini sacra.

Hactenus quae certis consignata monumentis sunt nos adjuverunt, de reliquorum templorum situ altum silentium est. Prorsus igitur ignoramus ubi Saturni templum, qui Zanclam condidit et falcem ibi reliquit, positum fuerit, quamvis id olim fuisse legimus in urbis notitiis apud Plac. di Reyna pag. 194. Locus templi Cereri sacri, quod non Messeniis modo et Mamertinis

1) Paus. IV. 31. 8.

2) Jos. Bonfil. p. 22. Messina (Ven. 1606. 4^o).

3) Plac. Samp. in Iconologia I. 6.

verum toti Siciliae religiosissimum fuit, ubi fuerit nescimus. Latet etiam in obscuro ubi Martis, quo tutelari numine Mamertini utebantur, delubrum exsiterit. Tam longa annorum series, tot rerum conversiones cum fanorum tum ceterorum aedificiorum publicorum theatrorum gymnasiarum turrium memoriam funditus deleverunt. Antiqua templa et aedificia evanuerunt quod, cum novae viae ¹⁾ instruerentur, fieri non potuit quin haec fana diruerentur. Quia tamen urbis principes noluerunt praeclearorum aedificiorum memoriam interire ea de causa eodem fere loco quo fuerant, eadem forma et amplitudine illa denuo exstrui curarunt.

Apud antiquos cum de nullis igitur aliis aedificiis nisi de templis nobis mentionem factam invenimus neque recentiores — ut de recentissimis taceam — urbis aspectus uberrimos fontes nobis aperiunt. Pauca quae colligi possunt ex libris virorum doctorum d'Orville Bonfiglio Placa di Reyna Fazelli aliorum, haec fere sunt: Messanam qui propius accedit series aedificiorum unius formae et theatri modo in portus margine exstructorum admirationem inicit. Versus Septentrionem in ipso portu hodie exstructum est Nosocomium, quod olim deversorium erat mercatorum et nautarum diutius in portu morantium ²⁾. In cuius deambulanti margine, statuis fontibusque exornato, conspectus viridantium vicinae Italiae actarum, montiumque arboribus praeditorum et ipsius freti modo tranquillioris, modo agitatoris facies singularem in modum unumquemque oblectabat detinebatque. Interiora urbis non respondebant exteriori eius nitore. Deturpabant enim angustissimae plateae, domus male habitae

1) Tres viae stratae a Meridie ad Septentriones per montes se extendebant.

2) Messina e Dintorni Guida e cura del Municipio 1902.

et in alia parte populonimis frequens erat. Non carebant tamen templis quibusdam et monasteriis satis conspicuis. Fontes quoque et statuæ hic illic conspiciebantur. In media fere urbe antiquis iam temporibus sarcophagus marmoreus qui aquam fontaneam reciperet, in quo Bacchanalia non indocta manu inculpta erant. In Aedi vicina Iovis (nunc S. Gregorii) columella Arabica inscriptione insignita conspicitur et olim eodem loco in templo primario, quod bibliothecam antiquam habebat, duæ statuæ ¹⁾ positæ erant, quarum unam Scipionis Africani, alteram Hannibalis esse nonnulli perhibebant ²⁾. Hic codices manuscripti Constantini Lascaris asservabantur teste Bonfigl. II. (1610) 26; auctore tamen d'Orville, qui centum annis post (1720) scripsit, constat hanc bibliothecam esse sensim expilatam et tandem a Siciliae moderatoribus direptam evanuisse. Bibliothecæ Messanae quaedam mediocres sed nullis codicibus instructæ. Extra urbem versus Pelorum in maris litore est coenobium D. Salvatoris, quod Monachi Graeci, Basiliani dicti, incolunt. Multos illi hodie, olim autem plures, possidebant libros Graecos calamo exaratos eosque antiquissimos. Quosdam ex hac bibliotheca Romam missos fuisse quidam nobis narrant ³⁾. Certe plurimos hoc vel alio modo dispersos frustra iam quaeras. Plerique, ut ex catalogo ⁴⁾ apparet, sunt Ecclesiastici et Patrum opera continent, sed multi valde antiqui. Quinque modo scriptores non Ecclesiastici inveniuntur:

1) Mediis ævis erant in domo principis Calvarassa cf. D'Orv. p. 6.

2) Faz. p. 47.

3) D'Orv. 6. Bonngl. II. 28. Messina (Ven. 1606 4^o).

4) Catalogus. In Thes. Sic. IX. insertus est. Pius quartus Pontifex Maximus cum audisset varios patrum Graecorum codices ibi asservari misit qui librorum omnium manu Graecæ exaratorum prænotationes sive inscriptiones describeret Placa di Reyna I. 140.

Chronicon Simeonis Magistri et Logothetae, Lexicon quoddam Graecum antiquum, in eodem codice Dialogi Timothei Presbyteri Alexandriae et Aquilae Iudaei.

Νομοκάνονες τῶν ἀποστολῶν. Codex satis vetustus.

Compendium libri Galeni qui scripsit de alimentis medicamentis terris et lapidibus (cf. Fischer p. 39—41).

Theophili institutiones.

De urbe condita et de primis eius incolis.

Paucis complecti necesse et qui antiquissimi Siciliae incolae fuerint et unde venerint. Remotissimis temporibus Cyclopes et Laestrygones hic habitasse discimus¹⁾, primos tamen colonos de quibus certi aliquid statuere possumus, non alios fuisse quam Sicanos nemo est qui negat. Unde venerint scriptores prorsus dissentiunt. Sunt qui putent²⁾ eos fuisse indigenas, qua cum opinione Sicanos ipsos consensisse tradit Thuc 6. 22: *ὡς μὲν αὐτοὶ Φοῖον*. Alii³⁾ putant eos Iberos sive Hispanos fuisse qui a flumine Sicano, quod olim in Iberia fuisset, nomen accepissent ac a Liguribus pulsati fuissent⁴⁾. Ubi tamen hoc flumen fuerit nusquam legimus et idem fuisse ac Sicorim⁵⁾ (Ibericum flumen)

1) Scymnus XIII. 278. Sil. Ital. XIV. Thuc. VI. 2. 1. Just. IV. 2. 2. Cluver. Sic. Ant. I. 2 et 14. 15. Faz. I. 1. 6.

2) Secundum Diod. V. 2. 4. „*οἱ νομιμώτατοι τῶν συγγραφέων*” haec perhibent. Tim. fr. 2. quem Diod. V. 6. 1. sequitur „*πολλὰς αὐτοῦ* (sc. Tim.) *φέροντος ἀποδείξεις.*”

Heisterbergk: „Fragen der ältesten Geschichte Siciliën's” p. 12 Sicanos nomen habere a flumine Sicano et prorsus aliam originem habere ac Siculos dicit, sed quibus argumentis usus?

3) Thuc. VI. 2. 2. Phil. (fr. 3) apud Diod. V. 6. Dion. Hal. I. 22. Silius 14. 35. Solinus V. V. 7.

4) Alii nomen ducunt a rege quodam eorum Sicano. Cf. Dem. Cal. ap Schol. Theocr. I. 64. Sol. V. 7. Mart. Cap. III. Isid. Or. XIV.

5) Serv. Aen. VIII. 328.

incredibile est. Stephanus Byzantinus s. v. *Δηρά γῆς Ἰβηρίας, ἧς ὁ Σικανὸς ποταμὸς, οἱ οἰκῆτορες Δηράσιοι* et idem s. v. *Σικάνη, πόλις Ἰβηρίας, ὡς Ἐκαταῖος Εὐρώπῃ, τὸ ἔθνικόν Σικάνιας*, sed ubi sita fuerint nemo affert et omnia, quae ad hoc nomen pertinent, omnino sunt incerta. Ea autem coniectura profecto vim quamdam haberet, si quis esset, qui Sicanos recta via ex Hispania huc tetendisse nec ullam antea regionem attigisse statueret. Quod cum nullus est locus qui affirmat, non est cur credamus. Verum eos in Latio, inter cuius primos haberi incolas Sicanos apud complures legimus, ex Hispania in itinere commoratos esse deinde terrestri itinere ad extremas Calabriae partes, hinc que in Siciliam migrasse, quod hanc quidem opinionem sustentet nihil est. Longe enim faciliorem et expeditiorem viam iis, qui extremas tum Italiae partes colebant, ad hanc pulchram et amoenam insulam fuisse constat. Agros insulae tam feraces neglexisse conterminas Italiae gentes, donec ex Hispania novi venerint coloni, minime credibile est. Sicanos (Iberos) pulsos fuisse ex Hispania a Liguribus a fide prorsus abhorret, quia v. Humboldt¹⁾ validis argumentis affert Iberos Occidentem versus ulterius habitasse quam Ligures, qua re clare apparet hos illos *Orientem* versus non pepulisse. Non inepte Grotefend²⁾ coniecit Ligynos sive Ligures moratos fuisse ad Liguris ripas et Sicanos eisdem fuisse ac Sequanos, qui ad Sequanam habitarent; sua sententia Sicani et Siculi una et eadem gens fuerunt ut Romulus Romanorum progenitor fuit. In Latio autem semper eos fuisse unacum Siculis apud scriptores³⁾ legere possumus. In Tibure Sicani,

1) Über die Ureinwohner Hispaniens Berl. 1841. p. 195.

2) Zur Geogr. und Gesch. van Alt-Italiën II. 5 et 6.

3) Paus. V. 25. 6. Verg. Aen. VII. 795. VIII. 328. XI. 317. Serv. ad VIII. 328. duce Siculo eos Italiam venisse tradit.

antiquissimis iam temporibus habitaverunt ut Solinus II. 8. narrat et magna pars Tiburis nomen „Σικελικόν” habuit. Quibus omnibus accurate inspectis concludere possumus Sicanos remotissimis iam temporibus Siculis, qui iisdem radicibus nati essent¹⁾, in Italia relictis in Siciliam abiisse et omnibus, qui in Italia remanebant, plerumque nomen „Siculi” fuisse, nonnunquam etiam „Sicani” quorum pauci in Italia supererant.

Si quaerimus quo tempore Sicani hanc insulam occuparint, non eandem hac de re sententiam viris eruditis placuisse rursus animadvertimus. Sunt²⁾ enim qui paulo ante Siculorum adventum eos huc traiecisse et qui³⁾ post multa demum saecula Siculorum gentem, ex Italia cum familiis universis in Siciliam transgressam, relictum a Sicanis agrum occupasse perhibent. Atque hi quidem generatim tantum loquuntur nec certum quoddam tempus constituunt, quam quaestionem tamen, ne longum sit, tractare est supersedenda. Postquam Sicani quingentos fere annos Siciliam tenuerunt, Siculi, populus vetustissimus et eadem gente ac Sicani, qui populus antea tractum inter Tiberim et Lirim iacentem Latium appellatum coluerat, sedes in hanc insulam transtulerunt. Quo tempore huc venerint Siculi item

Sol. II. 8. eos Tiburis primos incolas vocat.

Plin. III. 69. Gell. I. 10. Auruncorum aut Sicanorum aut Pelasgorum, qui primi coluisse Italiam dicuntur. Dion. Hal. I. 16. Siculorum gens olim iam in Latio habitasse magnum argumentum invenit in nonnullis verbis quae in Latina et in Sicula lingua fere eadem sunt e. g.

Siculi λέποριν idem dicunt ac Latini leporem. Varro L. L. V. 101.

„ κάτινον „ „ „ „ „ catinum „ „ „

St. Byz. s. v. Γέλα: — ὁ δὲ ποταμὸς ὅτι πολλὴν πᾶχυνν γεννᾷ· ταύτην γὰρ τῆ

Ὀπικῶν φωνῇ καὶ Σικελῶν γέλαν λέγεσθαι.

Holm. I. p. 360 alia etiam affert.

1) Wachsmuth R. G. 75. Kiepert zum Schulatlas p. 33.

2) Diod. Hal. I. 22.

3) Diod. Sic. V. 6. 3. Cluverius I. 2. Sol. XI. 2.

nescimus, quia scriptores ¹⁾ valde inter se differunt. A Pelasgis ²⁾ et Aboriginibus, qui circum Reaten habitabant, prope oppressi solum sibi vertendum duxisse ac cum coniugibus et liberis ratibus fretum Siculum facile superasse dicuntur, quod vero maxime verisimile est et legitur apud Dion. Hal. I. 22, qui autem prorsus erravit in his verbis „πρῶτον ἐτ τοῖς ἐσπερίοις μέρεσιν ᾤκησαν.” Hi erant qui fecerunt ut de suo nomine insula, cui a Sicanis Sicaniae nomen fuerat, novam appellationem accepit ac Sicilia dicta sit. Non omnes Siculi in Siciliam traiecerunt, nam etiam Thucydidis tempore in Italia Meridionali Siculi fuerunt ³⁾: cf. Pol. XII. 5. 6. Ex quibus locis patet Diodorum V. 2 erravisse cum narrat „ἀπό τῶν Σικελῶν τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας πανδημεὶ περιωθέντων ὠνόμασται Σικελία.”

Siculi in Siciliam venientes ferro Sicanos coegerunt ut relicto orientali insulae latere ad loca Occidentem solem et Meridiem spectantia se conferrent ⁴⁾, quo facto optima et pulcherrima insulae pars in eorum potestate erat atque hinc Zanclem quoque iis fuisse subiectam patet. Ex omnibus, quae apud scriptores legimus, perscipuum est Siculos Sicanos humanitate et aliis rebus praecessisse, cuius rei exempla sunt mores vocabula mensurae quae per longum tempus in Sicilia manebant, quamvis Phoenices hic essent et Graeci huc venerint.

Qui antiquissimis regionibus in Zanculae vicinitate habitaverint

1) Hell. (fr. 53) apud D. H. I. 22. + 1300 Iapygas fugientes huc venisse narrat. Antiochus (fr. 1. 3. 7) apud D. H. I. 22. nullum tempus declarat sed Siculus fuisse dicit, qui sedibus mutatis eo migrarint, ab Oenotrorum et Opicorum copiis per vim exacti.

Thuc. VI. 2. ab Opicis pulsos eos in Siciliam migrasse + 1040 a. Chr. narrat cf. Phil. (fr. 2) apud. D. H. I. 22. + 1300.

2) Cf. Stillman, The progress of Pelasgic Civilisation p. 31.

3) Thuc. VI. 2. 4.

4) Cluv. I. 2. et 17. Thuc. VI. 2. 5.

in medio relinquatur, quia hac de quaestione nihil constat. Sicanos, cum huc venerint, Phoenicibus occurrisse ponere possumus quia, Gadibus iam 1100 a. Chr. ab iis conditis ¹⁾, nulla litora in toto mari Mediterraneo nisi quae non opportuna erant ad mercaturam exercendam non adierunt et frequentarunt, dum multis minus opportune sitis locis in Siciliae ora emporii modo utebantur, quam ob rem dubitandum non est quin Zanclem urbem non viderint, quia ea urbs cum magno et tutissimo portu Phoenicum ab ora Syriae venientium oculos, cum Siciliae appropinquarent, statim in se vertebat.

Nulla Phoenicii cultus vestigia usque ad nostra tempora inventa sunt; quaestio inde orta est quo ex fonte Thucydides hauserit quae VI. 2. 6 nobis narrat *„ἔκουν δὲ καὶ Φοίνικες περὶ πᾶσαν μὲν τὴν Σικελίαν ἄκρας τε ἐπὶ τῇ θαλάσῃ ἀπολαμβάνοντες καὶ τὰ ἐπιχειρήματα νηϊδία ἐμπορίας ἕνεκεν τῆς πρὸς τοὺς Σικέλους.* In maxima huius fontis ignorantia versamur, nisi Thucydides quae in medio posita sunt pro vere factis habet, praecipue quia apud Diodorum legimus antiquissimis iam temporibus Gades conditas fuisse ab Phoenicibus ²⁾. Attamen Phoenices in Zancae ora et ei Septentrionem versus adiacentibus regionibus nunquam habuerunt nisi stationes et receptacula quo tempestate coorta se cum navibus et mercibus suis se reciperent et unde secundis ventis mercaturam faciliorem facerent. Strabonis narrationi ³⁾ Siculos et Sicanos posterioribus temporibus non habitasse in Siciliae oris magna fides tribuenda non est ⁴⁾, quia Thucydides VI. 62. 2. narrat

1) Diod. V. 20. Diod. XXV. 10. 1.

2) Cf. Meltzer I. pag. 149.

3) Str. VI. 2. 4: *οὐδένα τῆς παραλίας εἶων οἱ Ἕλληνες ἔπτεσθαι.*

4) Cf. Holm o. c. I. p. 361. ubi contra assert Halaesam coloniam Siculam fuisse in ora Septentrionali, et ubi, quae Str. 6. 2. 4. scribit: „ein in seiner Allgemeinheit falscher ausdrück“ vocat,

Himeram unam in Siciliae ora Septentrionali *Graecam* urbem fuisse et ibid. 5 ἐς τοὺς τῶν Σικελῶν ξυμμάχους περιέπλευσαν, unde apparet Siculos ad oras habitasse. Apud Diodorum V. 6 legimus Sicanos primitus totam insulam obtinuisse, postea vero cum pluribus in locis Aetna flammam exhalaret, et multum ignis in vicinam regionem effunderet, subactos metu, desertis quae ad Auroram vergunt partibus Siciliae, in occiduas transmigrasse. Ex hoc loco videmus quae verisimilia sunt, scilicet Sicanos¹⁾ suis sedibus modo cecidisse ignium Aetnaeorum eruptionibus et e Thucydidis supra memoratis locis et ex VI. 2. 2 et 2. 5²⁾ concludere possumus Siculos³⁾ per totam insulam — quamquam pro maxima parte in interioribus regionibus — habitasse.

Siculis aliquot tempus in ora Zancleae versantibus praedones sive mercatores⁴⁾ — iis enim temporibus idem fere apparet praedandi mercandique fuisse negotium et Cumanos iam pridem mercaturis inclaruisse constat — a Cumis, Chalcidica illa Campaniae urbe veterrima et nobilissima⁵⁾, Siciliam advecti Zancleae oram occupaverunt et cum ea terrae pars — ut scriptum videmus apud Pausaniam — deserta adhuc esset, muro incluserunt quidquid circa portum erat, inaedificato castello, e quo in mare vela dare⁶⁾ possent et rursus quo e marinis excursionibus se recipere. Ex. Paus. IV. 23. 3 verbis „ἐν ἐρήμῳ τῇ γῆ τειχίσαντες” patet

1) Qui non magno numero in insula fuerunt cf. Dion. Hal. 1. 22; ἦσαν δὲ οὐ πολλοὶ ἐν μεγάλῃ αὐτῇ (Sicilia) οἰκήτορες (Sicani), ἀλλ' ἡ πλείων τῆς χώρας ἔτι ἦν ἐρημος.

2) VI. 2. 2. οἰκοῦσι δὲ ἔτι καὶ νῦν τὰ πρὸς ἑσπέραν τῆς Σικελίας.

VI. 2. 5. ἀπέστειλαν τῆς Σικελίας πρὸς τὰ Μεσημβρινὰ καὶ ἑσπέρια αὐτῆς.

3) Quorum numerus multo maior fuit.

4) Thuc. VI. 2. 5. post trecentos fere annos.

5) Cf. Scymnus 238. Thuc. 4. 5.

6) Paus. IV. 23. 3.

Siculos, qui non penitus nautae erant, ex hac orae parte mox iam transmigrasse in montes ¹⁾. Hae diversae gentes antiquissimis temporibus pace et concordia fruentes paulisper ibi habitasse videntur, quisque scilicet loco sibi opportunissimo:

Phoenices in regionibus quae adiacent promontorio Peloritano.

Siculi una cum Sicanis in montibus.

Praedones Graeci ad portum.

Is erat Zancloe status antequam ii venerunt qui Zanclam in veram urbis vel coloniae formam redegerunt.

1) Cf. Holm I. o. c. p. 65.

Quo anno quoque modo urbs Zanca eiusque
coloniae conditae sint quique in ea anti-
quissimis temporibus regerent.

Duae narrationes sunt quae afferunt quo modo Zanca vera
urbs facta sit, altera Thucydidis ¹⁾ altera Strabonis, inter quas
autem convenit a Chalcidensibus urbem esse conditam.

Strabo vero Zancam Naxiorum coloniam esse eorundem qui
Catanam condiderint nulla auctoritate addita narrat et toto
insuper loco, qui huc spectat, strictim tantum res antiquiores
tangere videtur, quam ob rem haud dubie longe anteponenda
est quae Thucydides exhibet, diserte et perspicue explicata,
quibuscum neque certant quae Pausanias IV. 23 tradit, quam-
quam hic in universum tantum de piratis loquitur, omisso nomine
gentis. Si Thucydidi credere licet praedones supra memorati,
cum cognita loci praestantia portum primum munimentis circum-
dedissent, mox Chalcidensibus aliisque Euboeae incolis in con-
sortium vocatis, communi opera urbem ad fretum aedificaverunt,
cui Zancae nomen inditum est ex terrae forma falcis simili-
tudinem praebente. Cum legamus apud. Strabonem VI. 267

1) Thuc. VI. 4. 5. Strab. VI. 268. Strab. cf. Scymn. 282—286 qui Naxiorum
colonias perhibet Leontinos Zancam Catanam Callipolin. Utrunque scriptorem
Strabonem et Scymnum ex eodem fonte fortasse Ephoro hausisse, facile creditur.

Theoclem Atheniensem cum Chalcidensibus Ionibus et Doribus — qui magna ex parte Megareses erant — Siciliam navibus vectum esse, ex quibus Chalcidenses coloniam Naxum, Dores Megaram Hyblaeam constituerunt, facile intellegi potest Chalcidenses — iure id quidem — eosdem fuisse ac Naxios neque hoc mirum videri oportet Naxios Chalcidensibus — qui eadem gente erant — coloniam deducentes in finitimum locum comites se adiunxisse.

Hisce admissis Zanclam utique a Chalcidensibus conditam esse constat. Coloniae duces idem tradit Periërem fuisse et Crataimenum, alterum Cumanum, alterum Chalcidensem. Pausanius ¹⁾ l. l. Crataimenum Samium, Perierem Chalcidensem appellat. Qua in re, licet minoris sit momenti, si iudicium poscitur, Thucydidis gravissimae auctoritati potius concedendum est quam Pausaniae sententiae qui omnium, quae ad Zanclam pertinent, incertissimum se auctorem praebet. Nam cum in coloniis a coloniis deducendis nihil antiquius fuisse neminem lateat quam ut pristinae patriae cives ipsi coloni participes fieri vellent urbis condendae, equid probabilius inveniri possit quam Cumanos, si quidem Chalcidensibus accitis colonorum numerum auxerint, ducum quoque alterum ex his, alterum ex suis civibus legisse? Samium dumtaxat, etiam si expeditioni interesset, primum tamen locum tenuisse vix credi potest. Quam ob rem apud Pausaniam vocabulum „Σάμιος” mutandum est in „Κυμαῖος” et Krüger ad Thucydidem VI. 4. 5 „ὁ μὲν ἀπὸ Κύμης” annotat „ὁ μὲν” referendum esse ad Crataimenum et non ad Periërem. Quem Thucydides locum aliter legit et explicat Brunet de Presle ²⁾ qui duas

1) Fortasse Pausanias Crataimenum Samium dicit, ideo in errorem inductus quod Samii posteriore aetate Zanclam expugnaverunt.

2) Recherches sur les établissements des Grecs en Sicile 1842. p. 81.

colonias Zanciam deductas esse putat, alteram Cumanorum Periëri duce ante 812 (quia secundum Strabonem VI. 257 Zanciaci Chalcidenses vocaverunt ad Rhegium coloniam constituendam, cuius coloniae originem anno 812°. a. Chr. statuit) alteram Chalcidensium Crataimene duce, quam statuit anno 730°.

Annum quidem certum, quo urbs condita sit, veterum scriptorum, quos fortuna servavit, nemo memoriae prodit, per coniecturam tamen propemodum eius aetatem assequi licet, ratione habita Thucydideae imprimis narrationis.

Ubi anni quibus Naxus Syracusae Megara Leontini Catana Megara Hyblaea oriundae sunt, satis constant, Zanciam conditam obscuram esse eo magis mirum videtur, quia urbs eiusque portus opportunissime situs non longe ab urbibus supra memoratis remota sunt. Verisimillimum igitur videtur urbis primordia in idem fere tempus incidere quo illae urbes initia ceperunt. Strabo perhibet Leontinos Catanam et Zanciam in Sicilia colonias Naxiorum esse, unde patet deductas esse post ipsam Naxum, cuius rei etiam argumentum habemus quae Thuc. VI. 3. 1 narrat: *Ἑλλήνων δὲ πρῶτον Χαλκιδῆς ἐξ Εὐβοίας πλεύσαντες μετὰ Θουκλέους οἰκιστοῦ Νάξον ᾤκισαν. . . .* Naxus ideirco prima Chalcidensium in Sicilia colonia erat quae secundum Thucydidem — apud quem anni a vere incipiunt — mense Maio vel Iunio anni 735 condita est. Ante hoc tempus ad Zanciae oram Chalcidenses non venisse probat Thucydides, qui VI. 4. 5 non diceret: *Ζάγκλη δὲ τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Κύμης τῆς ἐν Ὀπικίᾳ Χαλκιδικῆς πόλεως ληστῶν ἀφικομένων ᾤκισθη*, postquam VI. 3. 1 scripserat *Ἑλλήνων δὲ πρῶτον Χαλκιδῆς ἐξ Εὐβοίας πλεύσαντες Νάξον ᾤκισαν*, qualis negligentiae alterum exemplum apud Thucydidem frustra quaeras.

Iam legimus in Thucydidis libro III c. 90 Mylas anno 716°

coloniam Zancleam constitutam esse, quo ex loco apparet Zanciam conditam esse ante 716.

Ad urbis originis annum etiam accuratius definiendum multum facit historia antiquissima urbis Rhegii. Strabo ¹⁾ autem duas narrationes habet, quas uno tenore affert. Altera narrat Rhegium conditam esse a Chacidensibus qui, cum propter agrorum sterilitatem oraculi iussu decimatione instituta Apollini consecrati essent, eo a Delphis commigrarunt, domo sibi etiam aliis ascitis.

Altera, quam Strabo continuo Antiocho auctore narrat, fere haec est: Zancleai fortasse quia intellexerant urbi suae profuturum esse si trans fretum alteram urbem sibi sociam condissent ad coloniam constituendam Chalcidenses evocaverunt, quibus Antimnestus praefuit. In huius coloniae societatem venerunt etiam exules Messenii Peloponnesii, qui eieci erant a factione suae urbis recusante poenas dare Lacedaemoniis ob violatas in Limnis virgines: quas Messenii missas ad rem sacram per vim stupraverant, trucidatis insuper iis qui eas defendere volebant. Exules ergo cum Macistum recessissent, vindicare iniuriam diis factam volentes miserunt Delphos, expostulatum cum Apolline et Diana quod ea ipsos fortuna uti sinerent, simulque quaesitum aequam rebus perditis salutem invenirent. Iussit eos Apollo socios se adiungere Chalcidensibus hoc ipso tempore Rhegium migrantibus suaeque sorori gratias agerent: non enim perisse ipsos, sed exitium evitasse, alioquin una cum patria perituros, quam paulo post Spartani essent excisuri. Paruerunt oraculo Messenii. Ideoque Rheginorum duces usque ad Anaxilaum semper de genere Messenio sunt delecti. Cum hac

1) Strabo VI. 4. 6.

narratione conferatur ea quae legitur apud Strabonem VIII. 4. 9¹⁾. Credere absurdum non est longum praeterisse tempus postquam Messenii Macistum se receperunt et antequam una cum Chalcidensibus Rhegium coloniam constituerunt sed, utcumque res se habet, eidem exules Rhegio condendo interfuerunt.

Extremo bello Messeniaco primo Messenia a Spartiatis diruta est, unde efficere licet Rhegium conditum esse ante 724 aequae ac Zancle, quia Strabo (Antiochus) VI. 1. 6. narrat Zancleasos Chalcidenses in consortium vocasse ad hanc urbem condendam — ut supra memoratum est.

Non est cur Antiocho non credamus cui Syracusano Sicularum rerum scriptori cum veteres²⁾ tum recentiores tantam fidem tribuerunt ut putent Thucydidem in scribendis rebus Siculis Antiochum saepe inspexisse et secutum esse: cf. Niebuhr Röm. Gesch. I (4 aufl.) 18 et Grotefend (zur Geogr. u. Gesch. von Alt-Italiën) I. 17.

Heraclides Ponticus quoque in fr. 25³⁾ obiter et summatim refert quo modo Rhegium urbs condita sit. Eius narratio fere haec est: Chalcidensium Euboicorum magna pars inopia et fame pressi patriam reliquerunt et unacum multis Messeniis Peloponnesiacis, qui propter vim puellis Lacedaemoniis illatam aliquamdiu Macisti in Triphylia versabantur, Rhegium condiderunt.

1) Τὸ δ' ἐν Λίμναις τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν. ἐφ' ᾧ Μεσσηνιοὶ περὶ τὰς παρθένους ὑβρίσαι δοκοῦσι τὰς ἀφιγμένους ἐπὶ τὴν θυσίαν, ἐν μεθορίῳ ἐστὶ τῆς τε Λακωνικῆς καὶ τῆς Μεσσηνίας, ὅπου κοινὴν συνετέλουν πανήγυριν καὶ θυσίαν ἀμφότεροι μετὰ δὲ τὴν ὕβριν οὐ δίδόντων δίκας τῶν Μεσσηνίων συστήναι φασὶ τὸν πόλεμον. ἀπὸ δὲ τῶν Λιμνῶν τούτων καὶ τὸ ἐν τῇ Σπάρτῃ Λιμναῖον εἴρηται τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν.

2) Diod. XII. 71. Diod. Exc. Vat. VIII. 23.

3) Heracl. Pont. fr. 25: Ῥήγιον ὤκισαν Χαλκιδεῖς οἱ ἀπ' Εὐρίπου διὰ λιμνῶν ἀναστάντες, παρέλαβον δὲ καὶ ἐκ Πελοποννήσου τοὺς Μεσσηνίους τοὺς ἐν Μακίστῳ τυχόντας διὰ τὴν ὕβριν τῶν Σπαρτιάδων παρθένων.

Quamquam narratio perbrevis et perplexa est, patet tamen et Strabonis et Heraclidis verbis idem subesse, quam ob causam denuo constat Messenios, qui patria expulsi essent, utique ei urbi condendae interfuisse.

Valde errare in hac re videntur Brunet de Presle et Buonfiglio ¹⁾, qui Rhegium conditum esse anno 812° a. Chr. contendunt, repudiata illa Thucydidis auctoritate quam in omnibus aliis rebus, quae ad Siciliam pertinent, semper tuentur. Thucydides enim — iam supra dictum est — Naxum anno 735° conditam primam Siciliae coloniam Graecam vocat, qua ex re facile elucet fieri non posse ut Zancle iam anno 812° Chalcidenses in consortium vocaverit ad coloniam deducendam.

Unde iste error profectus sit perspicuum fit si legimus locum Holmii II. p. 133, Anhang. II. p. 390, qui profert ἐν Λιμναίῃς in isto scelere regem quemdam Teleclum dictum occisum esse in Dianae templo, quam necem O. Müller Dor. II. p. 468 anno 786° ponit, alii 813°, inter quos Brunet de Presle qui putat Messenios extemplo Macistum emigrasse unde extemplo ²⁾ Chalcidensium hortatu Rhegium profecti sint. Temporis spatio secundum Brunet de Presle peracto scelus apud Dianae templum commissum, bellum intestinum exortum et gestum, iter Macistum hinc Delphos factum, reditus, iter Rheginum, huius urbis constitutio, haec omnia facta esse non possunt.

Si, quod alii perhibent, ponimus scelus et Telecli necem anno 786° facta esse, annorum series (786-730) Holmio nimis magna esse videtur. Bellum enim anno 730° demum inceptum non ante 725 finitum est, qui anni — ut supra iam vidimus —

1) Brun. de Presle p. 84. Buonfiglio I. p. 77.

2) Le départ de la colonie suivit presque immédiatement p. 84.

indicant coloniam Rhegium deductam esse inter 730 et 724. Quae coniectura Holmii veritatis speciem prae se ferret, si constaret revera Teleclum regem occisum esse in Limnarum scelere perpetrato. Unde autem haec Holmii innotuerint latet neque enim apud Diodorum neque enim apud Pausaniam huius rei vestigium reperire potuimus. Verumtamen Rhegium conditum esse post scelus ἐν Λιμναΐς factum constat, utrum autem hoc factum sit paucis annis an multis post nihil interest. Utrumque enim verum esse potest.

Holm hanc quaestionem huc usque obscuram dissolvere conatur fingendo non Zanclaeos sed praedones, quos scimus eo ante eos venisse — licet quo tempore omnino non certum sit — Chalcidenses evocasse ad coloniam Rhegium mittendam. Quae astute et sagaciter quidem excogitata sunt, quod ponere non opus est Messenios tam longum temporis spatium sumpsisse antequam in Italiam venerint.

Attamen quaedam obstant.

Num fieri potest ut praedonibus, qui quam in Sicilia occupata habebant terram nondum in coloniae veram formam redegerant, in mentem venerit trans fretum coloniam constituere?

Num praedonum est ad possessiones vel agros suos dilatandos alios in consortium vocare neque eadem propriis viribus efficere conari?

Fac tamen eos Rhegium coloniam condidisse, quae causa esse potest cur non statim Zanclae quoque coloniae veram formam dederint, id quod ad alios, qui posteriore tempore ibi conseruerunt, reiecerunt?

Quid denique sibi volunt verba Strabonis quae haec sunt: μετὰ δὲ τὴν ἕβριν οὐ διδόντων δίπλας τῶν Μεσσηνίων συστῆναι Φοσι τὸν πόλεμον", unde patet bellum non multo post iniuriam illatam

ortum esse, quod bellum circiter 730 gestum est, dum Limnarum scelus secundum auctores supra memoratos non post 786 commissum est?

Haec autem hactenus.

Straboni-Antiocho Thucydidi fidem abrogare audacius est. Non multum a vero abhorreere videtur qui perhibet conditum esse Rhegium ante 724 necnon Zanciam. Quodsi autem Rhegium ante annum conditum est 724, Naxos prima Graecorum fuit in Sicilia colonia a^o 735^o, necesse est Zanciam intra hoc tempus constituta sit. Iam inspiciatur Scymnus 282—286 ubi scribit:

Μετὰ ταῦτα δ' ἀπὸ Νάξου Λεοντῖνοι πόλις,
ἢ τὴν θέσιν ἔῤῥχουσα Ῥηγίου πέραν,
ἐπὶ τοῦ δὲ πορθμοῦ κειμένη τῆς Σικελίας,

Zάγκλη, Κατάνη, Καλλιπόλις ἔχ' ἀποικίαν, qui cum chronologiam in coloniis Siculis memorandis semper fere observet, Zanciam post Leontinos conditam esse verisimile est. Leontinos Thucydides auctor est anno 730^o constitutam esse neque multo post Catanam.

Eodem ergo fere anno quo hae duae coloniae deductae sunt etiam Zanciam conditam esse concludendum est.

Mox Zanciae ipsi coloniam Mylas miserunt qua priorem Zancae urbis nullam rem gestam apud scriptores legimus. Ut enim urbem suam tutam haberent ab hostibus et praedonibus, quia montes in eorum territorio aequae longe aberant a freto Siculo ac a mari Tyrrheno, colonos mittere ad oram Septentrionalem opus erat.

Is erat locus opportunissime situs in lingua aliquot milia passuum in mare procurrenti. Mylae — ut supra memoratum est — anno 716^o conditae Zancae quasi clavis erat quae fuit causa

cur semper sub eius ditione remanserit neque unquam suae potestatis colonia facta sit. Quod etiam probare videtur locus Thucydidis VII. 58 qui locus unacum Himera, Zancae colonia, eius mentionem non facit; accedit quod Mylarum nummi huc usque nusquam in Sicilia alibive apparent neque apparuerunt. Scriptores alii aliud nomen coloniae Mylis indiderunt.

Apoll. Rhod. 695 (ed. Steph.) *χερρονήσῳ*.

Hecat. fr. 50 (M)	}	<i>πόλει</i>
Diod. XIV. 87		
„ XII. 54		<i>Φρουρίῳ</i>

Plinius N. H. III. 90 oppido.

Thuc. III. 90 *ἐρύματι ἀκροπόλει*.

Scymnus *πόλει Ἑλληνίδι καὶ λιμένι*.

Schubring *κληρουχίᾳ*.

Quae nomina diversa et varia docent Mylas nunquam tanti valuisse ut apud omnes auctores suum nomen constaret.

Pluris vero est secunda colonia quam Zancaei ducibus Euclide Simo et Sacone condiderunt, scilicet Himera ¹⁾ sita ad eiusdem nominis fluvium, qui in ora ad Septentriones vergente in mare effunditur, quae est pars insulae quam etiamtum Siculos obtinere testatur Thucydides VI. 1.

Quod Himeram ²⁾ satis magno intervallo a finibus suis mox condiderunt non inane testimonium praebet mercaturae et

1) Thuc. VI. 5. 4. Καὶ Ἱμέρα ἀπὸ Ζάγκλης ἦϊσθη ὑπὸ Εὐκλείδου καὶ Σίμου καὶ Σάκωνος, καὶ Χαλκιδῆς μὲν οἱ πλείστοι ἦλθον ἐς τὴν ἀποικίαν, ξυμφύκισαν δὲ αὐτοῖς καὶ ἐκ Συρακουσῶν φυγάδες, στάσει νικηθέντες, οἱ Μυλητῖται καλούμενοι. καὶ φωνὴ μὲν μεταξὺ τῆς τε Χαλκιδῆων καὶ Δαριδος ἐκράβη, νόμιμα δὲ τὰ Χαλκιδικὰ ἐκράτησεν. Cf. Scymnus p. 289 et 290.

2) De origine nominis vide Movers II. 2. 338. de territorio Schubring Umwand. 437.

navigationis apud Zancaeos quoque florentium sicut Cumis floruerunt. In eandem urbem Thucydide auctore praeter Chalcidenses Syracusanorum quoque exules recepti sunt, quos Myletidas vocant, ita ut lingua mixta esset e Dorica et Chalcidica i. e. Ionica. Legibus autem Chalcidicis utebantur. Secundum Diodorum Siculum XIII. 62. 4 Hannibal anno 409° memor acceptae Hamilcaris avi ibi a Gelone quondam (480) cladis milites urbem diruere passus est. Quod excidium factum esse CCXL annos post urbem constitutam Diodorus auctor est, 1) unde patet conditam eam esse anno 649° a. Chr.

Iam quaeritur quid sibi velit illud *Μυλητιδαί*? Fortasse sunt Syracusani expulsi 2) qui primum Mylas profecti inde cum Zancaeis Himeram migrarunt: cf. Polyb I. 9 et 23 ubi legitur *ἡ Μυλητις χώρα*. Strabo 3) eo usque procedit ut dicat Himeram a Mylaeis deductam esse Myletidarum nomine fortasse in errorem inductus aut quia Zancaei ex urbe Mylis Himerae urbi condendae interfuerunt.

Fortasse probabilius conicimus si ponimus gentem fuisse quae suam originem ducat a Myla 4) quodam qui cum tota sua gente clade accepta a Syracusanis Himeram profugerit. Utut id est, origo nominis in tenebris latet.

Tertio loco apud Strabonem sermo est de *Ταυρομενίῳ* colonia, quam VI. 268 memorat his verbis: *Ταυρομένιον δὲ τῶν ἐν Ἰβηλίαισι Ζαγκλαίων κτίσμα*. Ex hoc loco apparet etiam Tauromenium Zancae coloniam fuisse.

1) *Οἰκισθεῖσαν ἔτη διακόσια τετταράκοντα*. Diod. XXIII. 62. 4.

2) Cf. Thuc. I. 1.

3) Str. VI 272. *ὡν τὴν μὲν Ἰμέραν οἱ ἐν Μυλητίς ἔκτισαν Ζαγκλαῖοι*.

4) Cf. Paus. III. 4. 1.

Quia autem duae Hyblae Siciliae ¹⁾ civitates fuerunt, quaestio oritur utram Strabo hoc loco indicare voluerit.

Altera erat Hybla prope Aetnam ad Symaethum fluvium sita, quae ἡ μείζων apud Thucydidem VI. 94 dicitur, altera, quam Megarenses Dores occupaverant, ἡ μικρὰ vocabatur. Secundum Diodorum Siculum ²⁾ Tauromenium, antea locum natura munitum et muro circumdatum, Dionysii demum temporibus (396 a. Chr.) a Siculis in urbis formam constituta est, quam ob rem erant qui putarent ³⁾ apud Strabonem legendum esse τῶν ἐν Ἑβλῇ Σικελῶν, qua emendatione tamen opus non est, nam Zancleas fuisse Siculos, qui Zancle profecti et Mylas et Hyblam tenuissent, probabile est, qua de causa Diodori et Strabonis narrationes conciliari possunt. Apud Scymnum 287 sqq. legimus:

283. Μετὰ ταῦτα δ' ἀπὸ Νάξου Λεαντῖνοι πόλις.

286. Ζάγκλη, Κατάνη, Καλλιπόλις ἔσχ' ἀποικίαν.

Πάλιν δ' ἀπὸ τούτων δύο πόλεις, Εὐβοία καὶ

Μύλαι κατωκίσθησαν ἐπικαλούμεναι,

εἴθ' Ἰμέρα καὶ Ταυρομένιον ἔχομένη.

Εἰσὶν δὲ πᾶσαι Χαλκιδῆων αὗται πόλεις.

1) Cf. Paus V. 23. 5. (c. 438): Ἑβλαίων δὲ φασιν εἶναι ἀνάθημα. καὶ δύο ἦσαν ἐν Σικελίᾳ πόλεις αἱ Ἑβλαι, Γελεᾶτις ἐπίκλησιν, τὴν δὲ, ὡς περ γε καὶ ἤν, ἐκάλουον μείζονα. ἔχουσι δὲ καὶ κατ' ἐμὲ ἔτι τὰ ὀνόματα.

Γελεᾶτις cf. Her. VII. 156. Thuc. VI. 4. 75 et 94.

Γαλεῶτις. Liv. XXIV. 30 et 35 Hyblaeae apes. Verg. Ecl. I. 55, Ovid. Trist. V. 13. 22.

2) Diod. XIV. 59. προστάξας παραπλεῖν ἐπὶ τὸν λόφον τὸν καλούμενον Ταῦρον. τοῦτον δὲ κατελιφότες ἦσαν Σικελοί, τυχεροὶ μὲν τὸ πλῆθος ὄντες, ἡγεμόνα δὲ οὐκ ἔχοντες. τούτοις δὲ τὸ μὲν πρότερον Διονύσιος ἐδῆδωκε τὴν τῶν Νάξιων χώραν, τότε δ' ὑπ' Ἰμίλικωνος πεισθέντες ἐπαγγελίαις τὸν λόφον κατέλαβοντο. Ὁχυρῶν δ' ὄντος τούτου, καὶ τότε καὶ μετὰ τὸν πόλεμον ἵκουσιν αὐτὸν τείχος περιβαλλόμενοι, καὶ τὴν πόλιν διὰ τὸ μείναι τοὺς ἐπὶ τὸν Ταῦρον ἀβροισθέντας Ταυρομένιον ὀνόμασαν.

3) Du Theil. in Strab. I. 1.

Cum Scymnus et Strabo de Siculis coloniis adeo inter se concinant, ut ex eodem hausisse fonte appareant (vide adnotationem in pag. 45), Scymnus autem Tauromenium inter Chalcidenses colonias recenseat, consentaneum est Zancleaeos Hyblaeos apud Strabonem non Siculos dici sed Graecos colonos, qui Tauromenium vel occuparunt vel aedificarunt eodem fere tempore quo Himera condita est. Prorsus igitur ab his diversa sunt quae ducentis et quinquaginta fere annis post facta esse narrat Diodorus.

Quodsi utramque componere conaremur statuendum foret Tauromenium priscis iam temporibus extitisse, deinde vero dirutum ut alia Siculorum oppida, Dionysii ¹⁾ denique temporibus denuo esse aedificatam. Attamen dubitationem movet vox *ἐχομένη* apud Scymnum, nam Tauromenium ab Himera longissime abest. Meineke legit „*λεγομένη*” sed quam ob rem? Fortasse aliud Tauromenium haud longe ab Himera dissitum, eodem fere loco quo Cephaloedum posterioribus temporibus memoratur, indicatum esse, quod Strabo cum nota posterioris aevi urbe confuderit, Carolus Müller in Geogr. Graec. Minor I. p. 208 conicit. Quae coniectura autem parum probabilis videtur.

Quia coloni fere semper leges mores cetera omnia e patria secum in colonias transferebant, in republica Zancleaeorum, ut in omnibus Chalcidicae originis civitatibus, Charondae Catanensis leges viguisse in dubium vocari vix potest quod disertis verbis a Thucydide affirmatur qui dicit Himerae ²⁾ leges Chalcidicas valuisse, quo nomine procul dubio eum Charondae instituta sig-

1) Diod. Sic. XIV. 87 et XVI. 7.

2) Thuc. VI. 5. 2. νόμιμα δὲ τὰ Χαλκιδικά ἐκράτησεν.

nificare statim agnosceret qui Aristotelis Politicam ¹⁾ inspexerit. Necminus certum videtur summam imperii hic ut in ceteris Chalcidensium coloniis penes optimates fuisse, quibus tamen non genus sed census potestatem adderet. *Τιμοκρατία* igitur in his oppidis valuit. Secundum Heraclidem Ponticum fr. 25 in Chalcide „ἵπποβόται” ²⁾ et in Cymis mille nobiles regnabant. Quae cum ita sint, haud scio an trecentos viros illorum rebus praefuisse ex Herodoti verbis ³⁾ colligere nobis liceat, quem admodum Rhegii Leontinis ⁴⁾ Crotone et Agrigento mille viros potestatem tenuisse constat.

Cum autem in his Siciliae coloniis omnia ea adessent, per quae (cf. Aristot. in Polit. VI. 4. 1 et 3) plebs crescit et adolescit — ut mercatura navigatio alia eiusmodi — mox controversiae subinde ortae sunt inter nobiles et plebem, qua discordia saepe nonnulli usi sunt ut specie plebi faventes oligarchiam perverterent, tyrannidem inducerent, contra quos *Τιμοκρατία* secundo Marte pugnare poterat.

Septimo aevo a. Chr. Charondas et Zaleucus ⁵⁾ leges scriptas inducere magnopere studuerunt, quibus legibus *Τιμοκρατία* auxilio venirent.

1) Arist. Polit. II. 9. 5.: νομοθέται δὲ ἐγένοντο Ζάλευκός τε Λοκροῖς τοῖς ἐπιζευφύριοις, καὶ Χαράνδας ὁ Καταναῖος τοῖς αὐτοῦ πολίταις καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς Χαλκιδικαῖς πόλεσι ταῖς περὶ Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν. Cf. Heracl. Pont. fr. 25

2) Her. V. 77. οἱ δ' ἵπποβόται ἐκάλεοντο οἱ πάχεις τῶν Χαλκιδικέων.

3) Her. VI. 23. τοὺς δὲ κορυφαίους αὐτῶν τριηκοσίους ἔδανε τοῖσι Σαμίοισι κατασφάξαι.

4) Arist. polit. V. 40. καὶ εἰς τυραννίδα μεταβάλλει ἐξ ὀλιγαρχίας... ὡσάντως.

5) Ζάλευκος cf. Diod. Sic. XII. 20. Χαράνδας cf. Diod. Sic. XII. 44.

Zanclae urbis res gestae usque ad Anaxilai mortem.

De Zanclae primis temporibus nihil apud auctores invenimus. Libri Diodori, quos haec continere conicere licet, perierunt; ceteri rerum scriptores prorsus silent, attamen in promptu manifestumque est hic aequae ac in aliis Siculis urbibus saepe discordias civiles factas esse praesertim quinto et sexto saeculo cum tyranni rerum potiti nimis imperiosi essent.

Per breve autem tempus, cum duo hostes externi insula potiri studerent, discordia civilis substitit et omnes urbes viribus intentis hostes expulerunt, quorum alter erat Malchus ¹⁾ Carthaginiensis qui anno 535° ante Chr. n. Siciliam expugnare conatus est, alter Dorieus ²⁾ Lacedaemonius qui e Lybia in Asiam Minorem transgressus Crotonem et inde anno 500 a. Chr. Siciliam vectus est ut insulam illam suae ditionis faceret. Utriusque consilium ad irritum cecidit, quia incolae ex omnibus urbibus sibi invicem auxilio venerunt, quamquam tyrannis iam multum in Sicilia florebat.

Reipublicae Zanclae porro forma, ut in plerisque Siciliae oppidis, in tyrannidem mutata esse videtur sub initium saeculi quinti ante Chr. natum. Anno 498° Naxos Callipolis Zancla

1) Just. XVIII. 7.

2) Herod. V. 42/47.

Leontini sub potestatem Hippocratis tyranni Gelensis venerunt, qui ipse revera in his urbibus non regnavit sed usurpatoribus suis ministris usus est Ainesidemo Leontinis et Scytha Zanclae.

Unde Scythes venerit et quo modo ad regnum et tyrannidem pervenerit latet. Sunt qui perhibeant ¹⁾ eum Inycinum esse, quod nomen ei inditum esse suspicor, non quod revera ἐν Ἰνύκῳ sive Ἰνύκῳ natus esset, sed quia postea eo in exilium missus est. Verisimile enim non videtur quemquam in patria sua exulare. Alii putant in Darii regis aula eum ²⁾ iam vixisse, antequam in Siciliam iter fecerit et rebus Zanclaeis potitus sit. Haec vero opinio nullo loco, quod sciamus, fulcitur et vitiosa videtur; nam quae Herodotus VI. 24. scribit ad ea tantum pertinent, quae facta sunt post Scythis ex Inyco effugium.

Pauca quae de Scytha legimus nos certiores faciunt immitem tyrannum non fuisse. Semper Siculorum potestatem minuere conabatur ut Graecorum auget, quod ut efficacius perpetraret Graecos colonos ad insulam alliciebat. Diu iam Graeci ex Asia Minore et Graecia in mari Mediterraneo vagabantur et apud Strabonem ³⁾ legimus Phocenses ⁴⁾ iam anno 600^o a Chr. Massiliam condidisse.

Quo autem statu Graeci Asiam Minorem habitantes eo tempore erant?

Cum Graecorum et Persarum classes ad Ladam insulam configerent, Persas victoriam reportasse constat propter Samiorum corruptelam et Graecorum maximam discordiam. Persae Mileti

1) Aelianus Var. Hist. VIII. 17. Herod. VI. 24. Animadvertendum est ea quae Aelianus tradit ad verbum descripta esse ex Herodoto.

2) Siefert p. 24. Ebel p. 17.

3) Cf. Melzer I. 149. (Timaeus) Strabo IV. 179.

4) Her. I. 163/168 narrat Phocensium urbem iam 542 deletam esse.

tyrannum Aeacum pro meritis Sami regno donaverunt ¹⁾. Aderant in Asia minore tum maxime Zanclaeorum legati petentes ut Iones ad „Καλήν Ἀκτὴν” venirent, Siculos inde secum expellerent. Quod cum ceteri abnuissent, iis Samiis, qui contra Persas pugnaverant quique ditissimi ibi erant, placuit ut emigrarent potius quam in Aeaci et barbarorum potestatem redire cogarentur. Samii tum uni ex Ionibus eo profecti sunt unacum Milesiorum qui patriae perniciem effugiebant. Sed postea a priore consilio decesserunt. Et enim, cum Siciliam itinere peterent, Locros Epizephyrios venerunt eodem tempore quo Zanclaei Siculorum urbem, quam Samiis simulac appulissent daturi essent, oppugnabant.

Sed enim Anaxilaus, Rheginorum tyrannus, cui cum Zanclaeis, qui semper cum Rheginis tamquam socii et interdum etiam sub eodem duce vixerant, inimicitiae intercesserant, Samiis persuasit ²⁾ ut Καλήν Ἀκτὴν omissa Zanclam ipsam occuparent, quae urbs opportune sita, plane constituta facile sine ullo periculo capi posset, quia ab incolis, quippe qui omnibus copiis castra movissent, tunc deserta erat. Qui cum Anaxilai hortatu Zanclam cepissent, Zanclaei postquam urbem suam occupatam esse audierunt, illico cum ipsi, rege duce, urbi consilium tulerunt, tum Hippocratem Gelae tyrannum advocarunt, quocum foedere — ut supra vidimus — coniuncti erant. At hic simulac eo venit Zanclaeis qui sero venerant extra urbem occurrens Scytham eiusque fratrem Pythogenam in vincula coniectos Inyecom misit, quia officio suo functi non essent propria urbe sine defensione relicta ut aliam caperent. Sociis

1) Her. III. 120/125. 139/149.

2) Her. VI. 23.

proditis cum Samiis se coniunxit ea conditione ut omnium rerum quae moveri possent et servorum qui in urbe erant alteram partem acciperet et omnia quaecumque Zanclaeorum in agris erant eorumque totum exercitum, Rhegini urbem haberent. Sic plerosque Zanclaeorum ipse pro mancipiis habuit, quorum primores trecentos, ne postea sibi insidiarentur, Samiis interficiendos tradidit¹⁾, qui nihilominus vita iis pepercerunt, in civitatem receperunt. Scythes autem, cum Inyco e carcere effugisset, Himeram et inde ad Darium regem se contulit, a quo benigne exceptus iustissimus dictus²⁾ et permagni factus est; in aula Suzis vitam degit et exacta aetate mortuus est.

Cum Samiis Cadmus quidam filius Scythae Coi regis Zanclam venerat, de quo item paulum innotuit nisi quod Herodotus VII. 164. refert: ὁ δὲ Κάδμος οὗτος πρότερον τούτων παραδεξάμενος παρὰ πατρός τὴν τυραννίδα Κώων εἰς βεβηκυῖαν, ἐκὼν τε εἶναι καὶ δεινοῦ ἐπιόντος οὐδενός, ἀλλ' ἀπὸ δικαιοσύνης, ἐς μέσον Κώοισι καταθείς τὴν ἀρχὴν ὄχρητο ἐς Σικελίην, ἔνθα μετὰ Σαμίων ἔσχητο καὶ κατοίκησε πόλιν Ζάγκλην. κ. τ. λ.

Siefert necnon alii putant huius patrem eundem Scytham fuisse ac Zanclae tyrannum, quae autem non probantur, quippe quae ex Herodoti verbis elici non possunt; sin minus enim Herodotus VI. 24³⁾ narravisset Darium hunc Scytham Coi regno honoravisse.

1) Herod. VI. 23

2) Aelian. Var. Hist. VIII. 17. haec fere affert: Quondam venia iter faciendi Siciliam impetrata eo profectus est. Reversum Darius „δικαιοτάτον” appellavit; fidem praestitam eo magis miratus est, quoniam Democedes Crotonensis eodem pacto profectus nunquam rediit, quae erat causa cur hunc „κάκιστον” diceret.

3) Σκόθης δὲ ὁ τῶν Ζαγκυλαίων μόνναρχος ἐκ τῆς Ἰνύκου ἐκδιδρῆσκει ἐς Ἰμέρην, ἐκ δὲ ταύτης παρῆν ἐς τὴν Ἀσίην καὶ ἀνέβη παρὰ βασιλέα Δαρείον. Καί μιν ἐνομίσει Δαρείος πάντων ἀνδρῶν δικαιοτάτον εἶναι, ὅσοι ἐκ τῆς Ἑλλάδος παρ' ἑαυτὸν ἀνέβησαν. Καὶ γὰρ παραιτησάμενος βασιλέα ἐς Σικελίην ἀπίκητο καὶ αὐτίς ἐκ τῆς Σικελίης ὑπίσω παρὰ βασιλέα, ἐς ὃ γῆραι μέγα ὄλβιος ἐὼν ἐτελεύτησε ἐν Πέρσῃσι.

Si apud Herodotum VII. 164 „παρὰ Σαμίων” legimus, facile credi possit ut Cadmus nonnullos annos post Samiorum adventum eo venerit, quod tamen probabile non est quia Thucydides VI. 4. 6 scribit. . . . τοὺς δὲ Σαμίους Ἀναξίλας Ῥηγίνων τύραννος οὐ πολλῶ ὕστερον ἐκβλῶν κ. τ. λ.

Necnon animadvertendum est omnia quae Herodotus VII. 164 narrat ante Xerxis expeditionem (480) facta esse, quod temporis spatium a Scythis exilio (492) duodecim scilicet annorum vix sufficeret ad haec omnia capienda, praecipue si rationem habemus quod Scythes multos annos Suzae egit.

Sin „μετὰ Σαμίων” legendum haud dubium est quin Cadmus Zanclam venerit sive unacum Samiis sive paulo post eos, quippe qui patrem suum expulerunt et mox ipsi eiecti sunt, qua ex re plane apparet hunc Cadmum Scythis tyranni filium non fuisse. ¹⁾

Quae quo anno gesta sint incertum esse omnino non potest cum Persarum et Siciliensium res conferre nobis liceat. Cum enim Zanclam a Samiis subiectam esse patet inter annos (494) quo Anaxilaum ad tyrannidem pervenisse constat ²⁾ et (491) quo Hippocrates mortuus est ³⁾, tum Miletum ⁴⁾ haud dubie

1) Utrum igitur hoc loco παρὰ an μετὰ legimus paulum differt et nihil ad rem pertinet.

2) Exiit enim 476 a Chr. cum octodecim annos regnarat (Diod. XI. 48). Imperium suscepit 494.

3) Gelo diem supremum obiit (Diod. XI. 38) anno 478. Cleander, Gelae optimatum imperio everso tyrannidem obtinuit 505 (Her. VII. 154). Hoc interfecto a Sabylo Gelensi Hippocrates filius regnum suscepit 498. Quo mortuo Gelo pro liberis eius regnum sibi arrogavit 491.

4) Inter Miletum captam et pugnam Marathonicam, quam 490 commissam esse nemo negat, quattuor tantum annorum spatium intercedere perspicuum est legentibus Herod. VI. 18. 43. 45. 46. 48. 94. Sunt qui Herodotum negligentiae accusant ut doctissimus Bentley Opusc. p. 235 sq. ed Lips, qui falsa

(494) captam esse pro certo habemus. Itaque Samii urbe Zancla potiti sunt circiter 493—492.

Ceterum quod Herodotus VII. 154 memoriae prodit Hippocratem Zanclaeos oppugnasse ¹⁾ — *πολιορκέοντος* non satis recte scriptum — et in servitutem abduxisse, ad hoc unum pertinere videtur quod Samios adiuvit et Zanclaeos pro mancipiis accepit, nam cum Zanclae appropinquaret urbis exercitus extra urbem Samii Milesiique in urbe erant, iusta igitur urbis oppugnatio facta non est.

Sed cum ad illud iam tempus pervenerimus, spectare necesse est quae Pausanias de Anaxilao et Messeniss narrat, quamquam nemo est, quod sciam, qui fidem ei conciliari conatus est. Ille enim scriptor ²⁾ tradit Messenios, qui — ut supra apparuit — Rhegio urbi conditae interfuerunt et post primum bellum Messenicum (724) Alcidama duce eo profecti sunt, iterum a Lacedaemoniis bello devictos (668), cum Gorgo et Mantielo ducibus de emigratione cogitarent sed ambigerent etiamtum quo se verterent, ab Anaxilao Rheginorum tyranno invitatos in Italiam venisse; deinde eius auxilio usos Zanclam expugnasse ubique Messanae nomen posuisse, Zanclaeos, qui ad aras et sacra deorum confugissent, a Messeniis vita condonatos esse, tametsi Anaxilaus ad unum omnes interfici iussisset, Mantielum Herculi Mantielo templum extra moenia dicasse. Haec

temporum ratione ductus, cum Miletum captam esse crederet 497, Anaxilaum tum nondum tyrannum fuisse contendit cum Samii Zancla urbe potirentur. Immo haec ipsa quae de Anaxilao traduntur magis firmare videntur supra de Mileto dicta.

1) Πολιορκέοντος γὰρ Ἴπποκράτεος Καλλιπολιήτας τὲ καὶ Ναξίους καὶ Ζαγκλαίους τε καὶ Λεοντίους καὶ πρὸς κ. τ. λ. τῶν δὲ εἶπον πολίων τούτων πλὴν Συρακονσέων οὐδεμία πέφευγε δουλοσύνην πρὸς Ἴπποκράτεος.

2) Paus. IV. 23. Paus. VI. 2. 4.

acta esse quattuor annos post Iram captam 664. Hactenus Pausanias.

Verum quae ille tradit nullo omnino antiquitatis testimonio firmatur. Ut enim primum perlustremus quae ipse aliis lociis de Messaniis affert, ne iniuste in eum agere videamur, duorum Messaniorum nomina exstant qui Olympiis vicerunt, qui uterque ex Zancaeorum posteris fuerant ¹⁾, neuter tamen ante 492 victoriam comparavit. E quibus alterum Symmachum (428 et 424) stadio bis palmam reportasse accepimus ²⁾; alterum Leontiscum Pausanias bis Olympiae, semel in Pythiis lucta victorem perhibet, cuius vero aetatem, quamquam non additur, coniectura assequi licet. Eiusdem enim, qui eius statuam fecit, Pythagorae Rhegini opus fuit Astyli Crotoniatae statua, quem 488—484—480 vicisse tradunt, postremis duabus Olympiadibus Syracusanum nuncupatum ³⁾ Itaque ne Leontiscum quidem ante annum 492 victoriam reportasse probari potest. Quod autem de Hereulis signo exhibet cum Amazona dimicantis, dono Euagorae Zancaei, opere Aristoclis Cydoniatae, ad nihil probat cum aetatem constitui posse ipse neget ⁴⁾. Neque priori tempori adscribenda est calamitas, qua Messanios affectos esse narrat, cum Rhegium chorum sollemnem mitterent; nam statuas puerorum mari abreptorum chori magistri tibicinis Callonis Elei opera esse dicit, epigrammata autem *postea* ab Hippia sophista addita, quem Socratis aequalem fuisse nemo ignorat. Itaque neque Pausanias ipse probat quae tradidit; et apud alios auctores

1) Paus. VI. 2. 4. εἶναι δὲ οἱ Σικελιώται καὶ τούτους τῶν ἀρχαίων Ζαγκλαίων, καὶ οὐ Μεσσηνίου φασίν.

2) Diod. Sic. XII. 49 et 65.

3) Paus. VI. 13. Dion. Halic. VIII. 1. Diod. Sic. XI. 4.

4) Paus. V. 25. 1. 6.

tantum abest ut Zancae a Messeniis captae mentio fiat, ut ne nomen quidem urbis Asinius Quadratus a Messeniis ortum esse putet sed futilissima et ineptissima derivatione utatur, quam profecto non adhibuisset, si vera essent quae Pausanias attulit ¹⁾. Verum contra Pausaniam omnis fere antiquitas testatur, neque ipse sibi satis constat. Haec tamen omnia repetere supersedemus, cum luculentissime eum vir doctissimus ²⁾ refellerit, ex cuius argumentis hoc unum commemorare liceat, quo Pausaniam suis ipsius verbis refutari docet: quod enim Anaxilaum rheda mulari Olympiis vicisse constat, hoc autem certaminis genus septuagesima demum Olympiade institutum esse ³⁾.

Iam vero verisimile non est eos, qui duos eius nominis viros Rhegii tyrannidem tenuisse sumpserunt, recte id contendisse, non enim fieri potuit ut uterque primus civitatem Zanciam appellaret Messanam. Nec si recte contendissent Pausaniae auctoritatem servarent; nam Himeram, quam Thucydides aperte Zancaeorum, non Messaniorum coloniam vocat, viginti fere annis post conditam esse iam memoravimus quam alterum bellum Messenicum finitum est. Insuper legimus apud Pausaniam V. 26. 4: *„τὸν γὰρ δὴ Σμίκυθον τοῦτον Ἡρόδοτος ἔφη ἐν τοῖς λόγοις, ὡς Ἀναξίλα τοῦ ἐν Ῥηγίῳ τυραννήσαντος γενόμενος δοῦλος καὶ ταμίης τῶν Ἀναξίλα χρημάτων* et verisimile est, si duo fuissent, sriptorem distinctius indicaturum fuisse ad utrum ea spectarent. Cf. Herodotus VII. 170.

Quae cum ita sint, ex omnibus quae Pausanias memorat haec tantum vera enucleari possunt, Messeniorum partem

1) Steph. Byzant. s. v. Μεσσήνη. Ἔστι καὶ ἄλλη Μεσσήνη τῆς Σικελίας, καὶ χώρα Μεσσήνη δι' ἐνὸς ὑπὸ τῶν δύο ποταμῶν μεσαζομένη, ὡς Ἀσίνιος Κουάδρατος φησιν.

2) Bentley, Opusc. phil. p. 233/246 ed Lips.

3) Paus. VI. 9. 3.

Rhegium abiisse, unde postea ab Anaxilao Zanclam colonos missos esse apparet ¹⁾).

Haud multo postquam Samii Zancla potiti sunt, Anaxilaus Samiis non tam eiectis quam missis novis colonis, qui communiter cum Zanclaeorum et Samiorum reliquiis ibi degerent, urbem in suam potestatem redegit. Iam statim id consilii habuisse nec tantum odio Zanclaeorum ductus Samios ad urbem capiendam incitasse videtur, sed etiam cupidine potestatis augendae motus, cum haud ignoraret eum futurum freti dominum esse, qui Zanclam et Rhegium simul teneret.

Samii, qui Anaxilao maximam fidem habebant, facile ex urbe eiecti sunt. Ex quo tamen verbo „eicere” omnino non efficit licet omnes Samios urbem egressos esse; vocabulo enim Herodoti „Σάμιοι” intelligenda est factio quae urbi tunc temporis praeerat, non omnes privati ²⁾. Hi cum privatis Zanclaeorum, qui antea isdem de causis ibi remanserant, et novis colonis Rheginis (Chalcidensibus) Messeniisque eam variorum populorum farraginem composuerunt, quam Thucydides VI. 4. 6. memorat. Isdem, quibus haec facta sunt, temporibus urbem Zanclam Messanae nomen accepisse videtur; de ipso quidem anno satis non constat, sed coniectura verisimili assequi licet.

Aliud alii de urbe Messana et nominis origine scriptores tradunt.

Strabo VI. 2. 3. urbem vocat *κτίσμα τῶν Μεσσηνίων τῶν ἐν Πελοποννήσῳ, ὃν τοῦνομα μετέλλαξε Ζάγκλη πρότερον καλουμένη.*

Thuc. VI. 4. 6. *τοὺς δὲ Σαμίους Ἀναξίλας Ῥηγίνων τύραννος οὐ πολλῶ ὕστερον ἐκβαλὼν καὶ τὴν πόλιν αὐτῶς (cod. αὐτοῖς) ξυμμικτῶν*

1) Quod autem de Messeniis eadem fere tradit quae Herodotus de Samiis, id nescio an satis explicetur studio urbis nomen deducendi.

2) Paus. VI. 2. 5. Diod. XII. 49. 65.

ἀνθρώπων οἰκίστας Μεσσήνην ἀπὸ τῆς ἑαυτοῦ τὸ ἀρχαῖον πατρίδος αὐτανόμασεν.

Diod. XV. 66. ubi de Messeniorum reliquiis loquitur: Καὶ τινὲς μὲν αὐτῶν εἰς ΚεΦαλληνίαν ἐξέπεσον, τινὲς δ' ἐν Σικελίᾳ Μεσσήνην τὴν ἀπ' ἐκείνων ὀνομασθεῖσαν κατώκησαν.

Her. VII. 164. Κάδμος ἔσχε μετὰ Σαμίων πόλιν Ζάγκλην, τὴν ἐς Μεσσήνην μεταβλῶσαν τὸ ὄνομα. Is igitur novum nomen Samiis huc ante Anaxilaum migratis attribuit.

Horum scriptorum, ni fallor, Thucydides conciliandus est cum Herodoto, ut infra videbimus, imprimis si animadvertimus Thucydidem scribere: οὐ πολλῶ ὕστερον postquam Samii eo venissent.

Quod si quis ¹⁾ inde Messanae nomen ortum esse putet quod Samii Messenios aut secum duxissent aut statim in urbem recepissent, anteaquam Anaxilao subiecti sint, opinionem nullo veteris scriptoris testimonio confirmare possit neque illa cum Herodoti aut Thucydidis narratione congruat. Ne Scymnus quidem Chius, qui versu 292^o Iones Samios Messanam condidisse memorat, Messeniorum mentionem facit.

Antiquissimi nummi, in quibus nomen Messanae inscriptum est, eisdem figuris leonis et tauri capitibus insigniti sunt ac Samiorum nummi, unde concludendum est Samios eodem tempore quo hi nummi cusi sunt in urbe Zancle maxime valuisse. Quia vero Rhegii eodem tempore isdem signis nummi exstabant, neque tamen unquam Samii in urbe Rhegio quidquam potuerunt, non fieri potest quin Anaxilaus his nummis Rhegienses uti passus sit cum amicitia sibi intercederet cum Samiis Zanclam

1) Millingen, Recueil de quelques médailles grecques inédites p. 25.

habitantibus, sicut postea Samiis eiectis nummorum signa re vera mutavit.

Samios autem nomen *Μεσσήνην* sive *Μεσσάνην* ¹⁾ urbi indidisse nummosque hoc nomine insignitos cusisse inde profluisset potest quod Anaxilao, natu Messenio, gratias hoc modo agere vellent pro magno tam pulchrae urbis sibi donatae beneficio. Idcirco non nimis audaces nobis videmur si perhibemus Messanam appellatam esse ex antiquae Anaxilai patriae nomine atque hoc factum esse eodem vel altero anno quo Samii in Siciliam pervenerint. Ex scribendi ratione „*Μεσσανιοι*” perspicuum est Anaxilai temporibus Dores in urbe praecipuas partes habuisse.

Sicut iam diximus Anaxilaus postquam Samios eiecit nummos aliis signis cudendos curavit plerosque notatos lepore et rheda mulari, cum quibus conferantur quae legimus apud Pollucem (Onomasticon) 5. 75: *Ἀναξίλας ὁ Ῥηγῖνος εὐσης, ὡς Ἀριστοτέλης φησὶν, τῆς Σικελίας τεως ἀγόνου λαγῶν, ὁ δὲ εἰσαγωγῶν τε καὶ θρέψας, ὁμοῦ δὲ καὶ Ὀλύμπια νικήσας ἀπήνη, τῷ νομίσμῳ τῶν Ῥηγῖνων ἐνετύπωσεν ἀπήνην καὶ λαγῶν.*

Rhedam notatam hanc originem habere facile potest sed leporis origo longe petita videtur; multo probabilior coniectura est Headii dicentis leporem sacrum fuisse Pani, qui deus Messanae in magno honore esset ²⁾.

1) Torremuzza tab. 47. 5 et 8. nummos perhibet leporis signo notatos, in quibus *ΜΕΣΣΕΝΙΟΝ* legimus, tab. 45. 1. nummos leonis capite insignitos, quibus *ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ* inscriptum est.

Apud d'Orvillum tab. 3. nummos lepore et rheda mulari notatos vidimus, in quibus *ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ* legitur, dum tab. IV nummus capite leonis inspicitur, cum scriptione *ΜΕΣΣΕΝΙΟΝ*.

Holm, III tab. I, *ΜΕΣΣΕΝΙΟΝ* in nummis habet et cum capite leonis et cum rheda mulari, qui nummi secundum Holmium tempore antecedunt iis in quibus *ΜΕΣΣΑΝΙΟΝ* legitur. Cf. Head. H. N.

2) Head, Hist. Numm. 93. Holm III, p. 576.

Messanam his temporibus a partibus Doribus stetisse legimus apud Thucydidem III. 86 ¹⁾ ubi disserens de urbibus quae primae expeditioni Siculae interfuerunt Messanam inter Doricas urbes ponit necnon nominat inter septem urbes, quas Nicias enumerat ut Athenas avertat ab Alcibiadis insano consilio.

Sed haec hactenus.

Ut igitur eo redeamus unde oratio digressa est, paucis perpendamus quae de Anaxilao ipso traduntur. Anaxilaus, Cretinis filius ²⁾, a Messeniis ³⁾ genus duxit qui variis temporibus Rhegium commigrasse et usque ad Anaxilaum summos ibi honores gessisse feruntur ⁴⁾. Ipse cum primus optimatum imperium in tyrannidem convertisset (495/494), non ita multo post novam Samiorum rempublicam in potestatem suam redegit, anno fortasse 493^o. Certe Diodorus, quem propter distinctiorem temporum rationem ab ipso adhibitam aegre ferimus nos deficere in rebus ante pugnam Salaminiam gestis, Anaxilaum dicit Zancleorum et Rheginorum regem post duodeviginta annorum regnum vita discessisse. Sic nihil discriminis apparet apud Diodorum inter initium regni Zancleorum et Rheginorum. Ceterum, quod ad tyrannidem pertinet, bene audit, aeque ac Gelo Syracusanorum Theron Agrigentinarum tyranni ⁵⁾. Uxorem

1) Thuc. III. 86. *ξύμμαχοι δὲ τοῖς μὲν Συρακοσίοις ἦσαν πλὴν Καμαρναίων αἱ ἄλλαι Δωρίδες πόλεις, αἵπερ καὶ πρὸς τὴν τῶν Λακεδαιμονίων τὸ πρῶτον ἀρχομένου τοῦ πολέμου ξυμμαχίαν ἐτάχθησαν, οὐ μὲντοι ξυνεπολέμησαν γε τοῖς δὲ Δεοντίοις αἱ Χαλκιδικαὶ πόλεις καὶ Καμάρια τῆς δὲ Ἰταλίας Λοκροὶ μὲν Συρακοσίων ἦσαν, Ῥηγῖνοι δὲ κατὰ τὸ ξυγγενὲς Δεοντίων.*

2) Her. VII. 165.

3) Paus IV. 23 eum quarto genere ab Alcidamida ortum facit, quem Ithome capta emigrasse ait.

4) Strabo VI. 395. Heracl. Pont. fr. 25.

5) Just. IV. 2. eum iustitia cum ceterorum tyrannorum crudelitate certasse dicit.

duxit Cydippam, Terilli filiam, Himerensium tyranni ¹⁾, non tamen liquet an ex altera priore iam liberos procreaverit, Cleophronem scilicet sive Leophronem ²⁾ et filiam, cuius nomen latet, quam Hieroni uxorem dedit ³⁾.

Ii quidem liberi, quos ex Cydippa genuisse videtur, parvuli admodum eo tempore erant cum pater mortuus est. Ipsum cum Messanae tyrannidem sibi comparasset, Cleophroni filio Rhegium tradidisse ⁴⁾ non improbable est, praecipue quia Schol. ad Pindari Pyth. II. 34 adnotat:

Ἀναξίλας καὶ Κλεόφρων ὁ τούτου παῖς Ἰταλίας ὄντες τύραννοι, ὁ μὲν ἐν Μεσσηνίᾳ τῇ Σικελικῇ ὁ δὲ ἐν Ῥηγίῳ τῶ περὶ Ἰταλίαν κ. τ. λ.

Leporem primus in Siciliam transtulisse fortur et eodem fere tempore Olympiis mulis vicisse, cui victoriae Simonides epinicium scripsit: cf. Heracl. Pont. fr. 25: *ἐτυράννησε δὲ αὐτῶν Ἀναξίλας Μεσσηνίος καὶ, νικήσας Ὀλύμπια ἡμιόνοις, εἰστίχσε τοὺς Ἕλληνας, καὶ τις αὐτὸν ἐπέσκωψεν εἰπὼν· οὗτος τί ἂν ἐποίει νικήσας ἵπποις; Ἐποίησε δὲ καὶ ἐπινίκιον Σιμωνίδης·*

Χαίρετε ἀελλοπόδων θυγατέρες ἵππων.

Quod Schneidewin ad hoc Simonidis fragm. 17 mirum quanta fiducia contendit, filium eius hanc victoriam adeptum esse, patrem vero victorem renuntiandum curasse, nobis quoque in mentem venit, accuratius tamen Athenaei loco inspecto nimium

1) Herod. I. c.

2) Ex variis scribendi rationibus prae ceteris mihi arridere fateor hanc „Κλεόφρων” (κλέος—φρήν) unde Κεόφρων, quod apud Dion. Halic. XIX. 4. legitur, depravatum esse putamus. Praeterea veresimilius videtur, cum Anaxilaus Messenii i. e. Dorici generis fuerit, filio inditurum fuisse Laphronis potius vel Laophronis nomen quam Leophronis.

3) Schol. ad Pind. Pyth. I. 112.

4) Cf. Brunet de Presle 142. 1. Just. XVI. 3, ubi narrat Leopronem Messanae tyrannum fuisse. Leophronem Rheginorum tyrannum memorat, sed eum alterum fuisse iam vidimus.

coniecturae tribuere veriti sumus. Saepius quidem fiebat ut filius qui Olympia vicerat eius victoriae gloriam patri relinqueret, verum duo argumenta quominus Anaxilai filium id fecisse credamus obsistunt:

Num credibile est Anaxilaum tam arrogantem fuisse ut nummis suae tyrannidis quadrigas mularum incudendas curaverit, nisi revera victor fuisset?

Num cecinisset Simonides Anaxilai patris victoriam, cum filius Cleophon Olympiis verus victor fuisset, sicut omnes Zanclosi et Rhegini quin etiam omnes sui aequales si non viderant at certe audiverant?

Quo tempore Anaxilaus Olympiis vicerit omnino non constat.

Porro „ναύσταθμον” ad τὸ Σικελλαῖον aedificavit ¹⁾, quo piratas per fretum navigare prohiberet.

In dubium vero vocanda sunt quae de ultimis eius annis accepimus. Anno enim 481^o socer eius Terillus, Crinippi filius, a Therone Agrigentinarum tyranno ²⁾ Himerensium regno eiectus Carthagenienses auxilio vocavit ³⁾. Qui cum inter ipsos et Persas convenisset iis in Graecia ac sibi in Sicilia Graecos debellandos esse, ingenti rerum bellicarum apparatu facto statim arrepta occasione Siciliae subigendae trecenta milia militum, naves longas plures ducentis, insuper tria milia onerariarum miserunt ⁴⁾, Hamilcare duce, Hannonis filio.

1) Strabo VI. 4. 5.

2) Theron, Aenesidami filius, Agrigenti summa rerum potitus est anno 488^o; mortuus est, cum sedecim annos regnasset. cf. Diod. XI. 53.

3) Quae est causa cur Gelo non statim auxilio venerit? Nam verisimile est ad Gelonem legatos misisse antequam Carthagenienses advocati naves appulerunt.

4) Ephorus: Diod. XI. 4. Timaeus: Diod. XI. 20/26. Simonidis epigr. 196. Schneidewin. Timaeus: Polyb. XII. 26b. Her. VII. 158—167. Ephori fragm.

Gelo Syracusanorum tyrannus in tempore Himerae a Carthageniensibus iam circumdatae auxilio venit et eruptione facta multos captivos secum ducens incolis iam desperatis animum addidit. Postridie a nuntio captivo, qui a Selinunte ad Hamilcarem missus erat, accepit Selinuntiorum ¹⁾ equitatum se cum Carthageniensibus coniuncturum esse, quam ob rem Gelo prima luce suos ipsius equites clam ex urbe profectos Carthageniensibus appropinquare iussit. Quod cum bene ac feliciter eveniret causa fiebat cur Gelo apud Himeram flumen Carthageniensibus ingenti clade repulsis Siciliam liberaverit (480). Attamen illo certamine haud scio annon diu turbata sit amicitia, qua Anaxilaeus cum Syracusanorum tyrannis coniunctus fuit, tam cum Gelone, cuius erga ipsum merita referuntur ²⁾, quam cum Hierone, quocum affinitatem inierat.

Tertio inde anno, ut Gelo morbo confectus est, Hiero frater regnum suscepit pro filio eius ³⁾. Neque multo post Anaxilaus Locris Epizephyriis nescio qua de causa bellum intulit unacum filio Cleophrone; mox tamen destitit, cum Hiero, qui aegre ferebat Anaxilaum *ναύσταθμον* ad fretum Siculum aedificasse qua re fines firmiter munisset, intercedens minatus esset se Rhegium aggressurum esse, nisi Locrensibus pacem Anaxilaus dedisset. Quae anno 477^o evenisse apparet, nam posthac (476)

111. Cf. Meltzer I. 214—222. Numerus quem Diodorus citat nimius esse videtur, ut saepius apud eum fit. Cf. Meltzer I. p. 213. Num recte Diod. XI. 20 tradat Carthagemensibus a Xerxe iussis Siciliam invasisse, vehementer dubito.

1) Selinuntii a Carthageniensium partibus steterunt, Gelone aliquot annis ante patriam urbem delcto. Cf. O. Benndorff, die Metopen van Selinus. Berlin 1873.

2) Diod. Sic. XI. 66.

3) Diod. Sic. XI. 38.

inter Hieronem et Theronem discordia orta est, quam ne bellum sequeretur Simonidis consilio cautum est ¹⁾).

Anno sequenti (476) Anaxilaus diem supremum obiit, antea iam mortuis filio Cleophrone et filia, quam Hiero in matrimonium duxerat ²⁾). Pro parvulis eius liberis tutelam et regnum suscepit Micythus ex verna eius quaestor factus, Choëri filius, quem per novem annos fideliter et praeclare munere mandato perfunctum esse scriptores consentiunt.

1) Pind. Pyth. II. 48/20. Schol. II. 34. I. 39.

2) Eodem enim anno Hiero Theronis propinquam uxorem duxit (cf. Boeckh ad Ol. II. Pyth. II.

Micythi tutela. Messanae status post Anaxilai
filios eiectos. Ducetius. Leontini auxilium
petunt ab Athenis.

Assequi non possum quo iure C. F. Hermann Micythum Cleophronis tutorem fuisse perhibeat, cum ubique Anaxilai filiorum, non filii unius superstitis, mentio fiat, Cleophron autem nusquam nisi tamquam adultus commemoretur. Nonnullis autem Herodoti locus ¹⁾ ansam praebet credentibus ei Rhegii curam tantum demandatam esse tamquam Cleophronis ministro et vicario ²⁾ qui ipse Messanae patri in imperio successerit. Obstant tamen iis cum Pausaniae testimonium (V. 26. 4), qui eodem Herodoti loco commemorato in universum cum Anaxilai res administrasse tradit, tum Strabonis (VI. 252), qui Micythum Messanae regem nuncupat. Nec praetermittendum est Herodotum ne verbo quidem Cleophronem tangere et antea iam narrasse Rhegium et Messanam unius potestatis facta esse. Dionysio ³⁾ igitur soli contra omnem fere antiquitatem fidem conciliari conantur, quamquam hic quoque Cleophronem Rhegii non Messanae tyrannum dicit. Qui autem fieri potuit ut in inscriptionibus Olympiis, in totius Graeciae quasi conspectu positis, et Rhegium et Messanam patrias profiteri ⁴⁾ ausus esset, nisi re

1) Her. VII. 170.

2) Quod unde habet, non apparet.

3) Dion. Hal. XIX. 4.

4) Paus. V. 26. 4.

vera ibi regnum tenuisset? Micythum hominem valde modestum et humilem tam arrogantem fuisse num credibile est? Denique in iis, quae supra memorata sunt, Hermann Scheidewin alii eo errare videntur quod Justinum XXI. 3¹⁾ huc afferunt. Primum enim ea quae Justinus tradit Dionysii tempore vel paulo ante facta esse constat; deinde Locrenses ex illo certamine victores prodisse nullo pacto contendere possumus, quoniam certum est eos Hieronis benevolentia pacem ab Anaxilao consecutos esse, neque vero belli fortuna; postremo non est cur plures tyranni fuisse non possint, quibus Leophronis nomen esset.

Micytho regnante, cum bellum exarsisset inter Tarentinos et Iapyges, Tarentini et Rhegini, quos illis auxilio miserat, magna clade affecti sunt²⁾ (473). Quae quamquam ad Messaniorum res non plane pertinent praetermittere tamen nolui, quippe quae denuo probare videantur ne ex Herodoti quidem sententia Micythum alii cuiquam substitutum fuisse in regno administrando. Ceterum id quod Diodorus narrat³⁾, Iapyges hostem victum tam acriter persecutos esse ut urbem simul cum Rheginis intratam caperent, absurdum videtur cum nulla huius rei mentio inveniatur. Fac autem eos revera in urbe fuisse, tuto conicere

1) Just. XXI. 3. Dein cum rapinae occasio decisset, universam civitatem callido commento circumvenit. Cum Rheginorum tyranni Leophronis bello Locrenses premerentur, voverant, si victores forent, ut die festo Veneris virgines suas prostituerent. Quo voto intermisso cum adversa bella cum Lucanis gererent, in contionem eos Dionysius vocat: hortatur, ut uxores filiasque suas in templum Veneris quam possint ornatissimas mittant: ex quibus sorte ductae centum voto publico fungantur religionisque gratia una stent in lupanari mense omnibus ante iuratis viris, ne quis ullam attaminet.

2) Herod. VII. 170. Diod. Sic. XI. 52. ὥστε φόνος Ἑλληνικὸς μέγιστος οὗτος δὴ ἐγένετο πάντων τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, αὐτῶν τε Ταραντίνων καὶ Ρηγίνων, οἳ ὑπὸ Μικύθου τοῦ Χοίρου ἀναγκασζόμενοι τῶν ἀστῶν καὶ ἀπικόμενοι τιμωροὶ Ταραντίνουσι ἀπέθανον τρισχίλιαι οὕτω αὐτῶν δὲ Ταραντίνων οὐκ ἐπὶν ἀριθμῶς.

3) Ibidem 52. 5.

licet non diu ibi degisse, nihil enim quod huc pertinet in posteriore historia reperitur.

Praeterea Micythum Buxentum (Graece Πυξοῦς dictam) urbem condidisse (470) constat ¹⁾, prope Palinurum promontorium ad flumen eiusdem nominis, cuius urbis apud Steph. Byz. s. v. Πύξις πόλις ἐν μεσογείᾳ τῶν Οἰνώτρων et Πυξοῦς πόλις Σικελίας, κτίσμα Μικύθου legimus. Nusquam autem urbs Πύξις reperitur, unde conicere licet ex his duobus locis alterum emendandum esse scilicet Πύξοῦς πόλις ἐν μεσογείᾳ τῶν Οἰνώτρων ²⁾ κτίσμα Μικύθου.

Strabo I. c. tradit: μετὰ δὲ Παλίνουρον Πυξοῦς ἄκρα καὶ λιμὴν καὶ ποταμός· ἐν γὰρ τῶν τριῶν ὄνομα· ὤκιστε δὲ Μίκυθος ὁ Μεσσήνης ἄρχων τῆς ἐν Σικελίᾳ, πάλιν δ' ἀπήραν οἱ ἰδρυέντες πλὴν ὀλίγων, κ. τ. λ. ex quo loco apparet colonos hic non diu moratos esse quia bellum inter eos et barbaros coortum est, ut Strabo VI. 253. 2 narrat „πολὸν χρόνον ἐπολέμουν οἱ τὲ Ἕλληνες καὶ οἱ βαρβαροὶ πρὸς ἀλλήλους”. Quarto inde anno (467) Anaxilai filii honorificis muneribus invitati ad Hieronem veniunt, qui eos hortatur ut, cum iam adolevisent, a Micytho rationem exigerent et patris memores regnum ipsi susciperent. Quod cum fecissent, Micythus optima ratione reddita coram omnibus iuvenum amicis in fidei admirationem raptis, regno sese abdicavit; insuper iterum imperium accipere abnuit, quamquam adulescentes, quos facti iam poenituit, obtestabantur ut in imperio maneret. Omnibus eorum exacte restitutis suis cum bonis cum navem ascendit, persecutus est summus totius populi favor.

1) Plin. H. N. III. 5. Oppidum Buxentum Graece Pyxus. Cluv. IV. 14. Buxentem post Palinurum promontorium et flumen Melsen. Secundum Siefert Buxentum anno 205^o colonia Romana erat. Cf. Liv. XXXII. 13. Vell. Patere, I. 15.

2) Cf. Strabo VI. 253.

Cum in Graeciam se contulisset, Tegeae in Arcadia obiit ab omnibus amatus et plurimi factus ¹⁾. Multa dona, quae Pausanias V. 26. 4. enumeravit, Olympiis dicitur ex voto posuisse, liberato filio tabidi morbi periculo; epigrammata vero Tegeae sunt. Apud Herodotum VII. 170. aliter legimus de eius egressu ex Messana: ὁ δὲ Μίκυθος, οἰκέτης ἑὼν Ἀναξίλειον, ἐπίτροπος Ῥηγίου καταλείπειτο, οὗτος ὅσπερ ἐκπεσῶν ἐκ Ῥηγίου καὶ Τεγέην τὴν Ἀρκάδων οἰκήσας ἀνέθηκε ἐν Ὀλυμπίῃ τοὺς πόλλους ἀνδριάντας. Quodsi Herodotus ἐκπίπτω dicit, dubito num semper ἐκπεσῶν exilii damnatum indicet, licet haec solita verbi vis sit; praeterea, nonne quodammodo dicere possumus Micythum e regno pulsum esse, etiamsi postea Anaxilai filios facti paenituerit?

Num credibile est Herodotum hoc verbo „ἐκπίπτω” usum esse, quia aegre tulit Micythum illum, qui semper se probum et modestum praestiterit, subito sine ulla causa ab Anaxilai filii Hieronis hortatu coactum esse rationes reddere?

Suspectum se haberi Micythus opinatus est, qua de causa ratione reddita urbem statim reliquit (467).

Eodem anno Hieronem mortuum Thrasybulus frater excepit Syracusanorum regno, qui tamen, cum crudelem se praebuisset, sequenti iam anno a civibus eiectus Locros ²⁾ exulatum abiit, ubi privatus vitam degit. Ceteras civitates, quae tyrannis parebant et quae Syracusis affuerant in recuperanda libertate Syracusani liberasse et populi imperium ubique restituisse dicuntur ³⁾.

Neque tamen quas urbes memoret qui haec tradit Diodorus,

1) Diod. Sic. XI. 66. Macrobi. Saturn. I. 11.

2) Diod. Sic. XI. 67. 68.

3) Ibidem 68.

praeter Gelam, quae Syracusanorum tyrannis semper subiecta fuisse videtur, diserte indicare quemquam posse existimo, cum Agrigentinos et Himeracos iamdudum Thrasydaeo, Theronis filio, expulso (472) in libertatem restitutas esse constet ¹⁾; neque omnes Siciliae urbes tum (467) ad libertatem revocatae sunt, ut Diod. XI. 72 „καὶ πασῶν, τῶν κατὰ τὴν νῆσον πόλεων ἡλευθερωμένων” false narrat.

Messanii enim sexto demum inde anno (461) una cum Rheginis tyrannidis iugum excusserunt, exterminatis Anaxilai filiis, quos (ut saepe fieri docent Gelonis et Theronis successorum exempla) a patris praeclaro et humano imperio discessisse nec optime reipublicae consuluisse forsitan non immerito conicias ²⁾. Hisce in urbibus igitur tyrannidi finis impositus est, qua per trium fere et triginta annorum spatium Messanii cum Rheginis coniuncti fuerunt.

Eodem anno alienigenae ³⁾ Gelonis tempore in urbem recepti Syracusanis bellum intulerunt, cum populari reipublicae forma restituta sibi via non pateret ad munera publica et honores capessendos ⁴⁾. Secessione a reliquis Syracusanis in Epipolas — quas firmis praesidiis muniebant — facta, alienigenae Achradinam et Insulam occupaverunt, qui exitu prohibiti victuum inopia oppressi sunt.

Quo facto intestina Siciliensium bella composita sunt his con-

1) Diod. XI. 53.

2) Faz. Dec. I. II. 2. Licentius viventes adolescentes principes adeo in se populi odium concitarunt, ut exactis tandem per vim dominis in libertatem popularemque rei publicae statum se Messana vindicaverit cf. Diod. XI. 76.

3) Diod. Sic. XI. 72: Τοῦ γὰρ Γέλωνος πλείους (τῶν) μυρίων πολιτογραφήσαντος ξένους μισθοφόρους, ἐκ τούτων περιελείποντο πλείους τῶν ἑπτακισχιλίων κατὰ τοὺς ὑποκειμένους καιροὺς.

4) Diod. Sic. XI. 72.

ditionibus acceptis, ut omnibus exulibus in patrias revertendi venia daretur, peregrinis vero omnibus, qui dominatum in aliena sibi usurpassent, in Messaniorum territoria sedes concederentur ¹⁾. Italicae maxime originis peregrini fuisse videntur, quibus Weseling (ad. l. c.) non in urbe, sed in agris idcirco sedes datas esse conicit, quo facilius cum vellent in Italiam redire possent.

Messanios tyrannis expulsis ad Charondae leges rediisse, quae fortasse non multum immutatae ab Anaxilao ascitae erant, quamquam hanc rem Diodorus silentio praeterit, non improbabile videtur. Idem enim quod Syracusani in aliis civitatibus fecisse feruntur, populi scilicet imperium restituisse, in Messanam cadere negaverim, quae parum Syracusanorum potentiae concessisse putanda est.

Iam per aliquantum temporis nullam adeo Messaniorum mentionem factam esse reperimus, qua de causa in incerto relinquitur num ii quoque bellis tacti sint, in quibus gerundis proximos inde annos in Sicilia consumptos esse constat.

Mox enim diu et acriter bellatum est inter Siculos et Syracusanos aliasque Graecorum civitates. Ducetius, Siculorum dux, patriae suae liberandae consilium ceperat et urbes, praeter Hyblam, communibus institutis inter se iunxerat ²⁾. Tyrannis e coloniis Graecis eiectis et in isdem populi imperio restituto bella intestina orta sunt, quibus Ducetius utebatur ut indigenis utilitates afferret. In quo proposito peragendo aliquot annos sumpsit ³⁾ donec anno 452° urbis principe dolose interfecto Aetnam

1) Diod. Sic. l. c.

2) Diod. Sic. XI. 88.

3) Diod. Sic. XI. 76. Iam anno 462° Siculos, quorum agros Hiero novis Catanæ incolis dederat, ultus erat; tribus annis post Morgantinam ceperat. Diod. Sic. XI. 78.

occupavit, qua urbe expugnata in Agrigentorum se contulit territorium et Motyum castellum eorum obsidere coepit ¹⁾. Syracusani Motyo exercitum Belcone duce auxilio miserunt; commisso proelio Ducetius hostes propulsit. Proximo anno (451) Syracusani bellum instaurarunt, Agrigentini Motyum a Ducetio praesidio firmatum recuperaverunt, ipse Ducetius deinde proelio apud Noas ²⁾ vel Nomas victus, postquam in Syracusanorum deditionem seque ipsum et regionem suam dedit et ad eorum aras confugit ³⁾, Corinthum in exilium missus est fide data se nihil amplius adversos Graecos esse suscepturum. A qua pugna Messanios non afuisse opinor, cum Noae in eorum confinio sitae sint et Zancleas iam cum Siculis bellasse acceperimus. Num vero illius certaminis, quod paulo post exarsit, participes facti sint et a quibus steterint, coniectura quidem colligere possumus, non pro certo affirmare.

Cum enim Ducetius paulo post fugam oraculo *Καλὴν Ἀκτὴν* in Siciliae ora visere et occupare se iussum esse simulans fidem violasset, in Siciliam magna cum hominum novas sedes quaerentium turba e Corintho revertisset, in *Καλῆ Ἀκτῆ* insedisset, Agrigentini Syracusanos suspectos habebant eorum iussu Corinthios Ducetium non prohibuisse in Siciliam traicere et belli causa inde deprompta Syracusanis crimini dederunt quod eum praeter ipsorum consensum vita condonassent. Bello igitur

1) Diod. Sic. XI. 91 et 92.

2) Diod. Sic. XI. 91. „*Νομαί*” cui verbo C. Müller iam „*Noaí*” annotat. Steph. Byz. (Apoll.) „*Νόαι*” cuius urbis incolas Plin. H. N. III. 8. 14 Noaenos appellat, et quae urbs eadem erat ac quae hodie Noara dicta in Messinae confinio sita est. Cf. Siefert o. c.

Nomae, quod sciam, nusquam reperitur.

3) Diod. Sic. XI. 92.

exorto, aliis civitatibus utrosque adiuvantibus ¹⁾, ad Himeram flumen magnis cum exercitibus confictum est, Agrigentinarum plus mille ceciderunt (446). Petentibus tamen pax data est ²⁾.

Messanii huic quoque proelio interfuisse et ab Agrigentinis stetisse verisimile est et quia fere nunquam amicitiam cum Syracusanis iunxerunt et quia semper ipsi *Καλὴν Ἀστυν* obtinere gestiverunt ³⁾, quod nunc ab alienigenis factum esse iniquo animo tulisse fortasse putandi sunt.

Inde ab anno 446^o usque ad quartum annum belli Peloponnesiaci non multa memoratu digna evenerunt.

Ducetius paucis annis post Siculorum principatum vindicare propositum habebat, sed morbo praeventus vita et ausis exiit (440).

Quo mortuo Syracusani per nonnullos annos multas Siculas urbes sui imperii fecerunt ⁴⁾, ultimam Trinaciam quae urbs inter Siculas urbes semper principem locum obtinuerat et nunc diutissime restitit. Post Siculas urbes Syracusani etiam Chalcidicis coloniis, imprimis Leontinis, quorum odio implacabili ardebant aemulatione ducti potiri conati sunt. Quod diuturnum odium inde a bello Peloponnesiaco etiam vehementius auctum est, praesertim cum illi Doricae hi Ionicae originis essent. Hae inter has civitates dissensiones, quae cum bello Peloponnesiaco coincidebant, Messanae nostrae maioris momenti erant. Quinto enim huius belli anno (427) inter Leontinos et Syracusanos postremo bellum exarsit ⁵⁾, quod diu imminuerat.

1) Diod. Sic. XII. 8. *ἠθροίσθησαν παρ' ἀμφοτέρων δυνάμεις ἀξιόλογοι.*

2) Diod. Sic. XII. 8.

3) Vide supra in pag. 60.

4) Diod. Sic. XII. 26.

5) Thuc. III. 86. 2. Cf. Diod. XII. 53.

Quo facto, cum a Syracusanis Doricae civitates omnes Camarina excepta a Leontinis Chalcidicae starent et Camarinenses, ex Italicis autem urbibus Locri Epizephyrii, fortasse Rheginorum odio ducti — ut supra vidimus — Syracusanorum, Rhegini Leontinorum signa sequebantur. Hic animadvertenda est diversitas ex invidia orta inter Rheginorum res et Messaniorum, quae maxime inde elucet quod illi societate inita Chalcidicae originis se memores esse professi sunt, Messanii autem palam Doricis civitatibus se adiunxerunt. Leontini se suosque socios adversariis pares non putantes, per legatos, Gorgia Leontino duce¹⁾, Athenas precibus sollicitant ut suppeditatis auxiliis, urbes e periculis eriperent. Athenienses vero iam diu capessendae Siciliae cupiditas incesserat cum propter insulae agrorum fertilitatem tum ut Peloponnesum commeatu e Sicilia advecto intereluderent²⁾. Decreto igitur Leontinis subsidio Lachete ac Charoiada ducebus in Siciliam viginti naves mittunt³⁾.

Hieme anni 427 unacum Rheginis Liparensium insulas excursionibus vexabant, quoniam Syracusanorum illae favebant partibus.

1) Thuc. ibidem. Diod. ibidem. Thuc. Gorgiam non memorat.

2) Thuc. III, 86. 3.

3) Diodorum identidem numerum navium centum fuisse dicit, dum Thucydides triginta earum aut viginti memorat, quos numeros nimios Diodorus exhibere videtur.

Athenienses in Messanam recepti mox expulsi
sunt. Locrensiū praesidium in urbe collo-
catum est. Hermocrates. Pax inter
Carthagenienses et Dionysium.

Proxima aestate (426) Laches, qui solus Charoiade mortuo
dux supererat, bene cognita loci praestantia, primum Mylas,
Messaniorum castellum, duabus eorum cohortibus defensum,
aggressus postquam cepit, cum ducibus et militibus Mylensibus
exercitum contra urbem Messanam duxit. Iam Messanii veram
originem produnt, nam Atheniensibus urbi appropinquantibus
ultra obviam eunt quos deinde in urbem inducunt et cum quibus
obsidibus datis societatem ineunt ¹⁾. Cuius tamen non magnum
fructum tulerunt. Laches de ambitu a Cleone accusatus Athenas
revocatus est ²⁾, cui in Sicilia Pythodorus Sophocles et Eury-
medon successerunt, qui hinc oligarchia perversa Sphacterium
se contulerunt.

Hisce profectis Messanii proximi iam anni initio (425) ab
Atheniensibus defecerunt, Syracusanis et Locrensibus ultra ac-
citis, qui viginti navibus, ad quas aliae aliarum urbium acces-
serunt, non solum urbem ceperunt et portum occuparunt ³⁾,

1) Thuc. III. 90. Diod. Sic. XII. 54.

2) Schol. ad Arist. Vesp. 240; ibidem 835.

3) Thuc. IV. 1. Diodorus haec et quae proxime facta sunt omittit.

verum etiam omne bellum circum Messanam contraxerunt. Tota enim sociorum classe illuc congesta, Syracusani e Messana in mare naves inducentes navali pugna cum Atheniensibus et Rheginis configere statuerunt, Locrensibus singulari invidia ductis ¹⁾ cum copiis in Rheginorum agros invasuris.

Itaque Syracusani, qui triginta fere naves collegerant, in ipsis freti angustiis proelio commisso adversus sedecim Atheniensium, octo Rheginorum naves, cum victoriam deportare nequisent, una nave amissa ad castra quam celerrime se receperunt, quia nox appetebat.

Postquam Locrenses e Rheginorum territorio abierunt, quod cum oligarchiae inde paulo ante expulsae auxilio populati erant, classem suam cum Syracusanorum ad Peloridem coniunxerunt, pedestri exercitu in ora prope sequente.

Inde feliciter in Messanae portum pervenerunt, quamquam Athenienses, bis frustra duabus navibus amissis, eos aggressi erant. Post haec Athenienses cum Archiam Camarinam Syracusanis traditurum esse compertum haberent eo castra moventes, in tempore advenientes urbem servarunt. Interea Messanii cum Syracusanis et Locrensibus terra marique Naxios adorti circumdederunt, eruptione facta tamen ab iis fugati sunt; eum amplius mille cecidissent, reliqui vix domum pervenerunt, quippe quorum reditum Siculi Naxiis opitulantes magis Messaniorum odio quam Naxiorum amicitia ducti vexarent; classis integra Messanam rediit.

Qua clade accepta Messanii satius duxerunt Demotelem cum Locrorum praesidio in urbem accipere; nequaquam tamen adeo eorum vires debilitatae erant ut Leontinorum copias urbem obsidere conatas reicere non possent. Athenienses enim et

¹⁾ Thuc. IV. 1. 24.

Leontini cum sociis, simulac hostium naves e freto domum revertisse viderunt, adversus Messanam expeditionem fecerunt, terra marique urbi appropinquantes. Leontini igitur multa cum clade fugati sunt; quibus cum Athenienses Pythodoro duce opem tulissent, Messanios in persequendis hostibus dispersos rursus reppulerunt, oppugnatione autem destiterunt ac tropaeo constituto Rhegium se receperunt ¹⁾. Neque postea quidquam effecerunt memoria dignum.

Itaque anno 424^o ²⁾ Camarinenses primum et Gelenses indutias inierunt, mox autem cum omnium Siciliensium legati Gelam se contulissent, Hermocrates Syracusanus civitates commovit ut pace coniuncta communiter Athenienses ex insula depellere conarentur ³⁾. Graecorum naves etiamtunc e Rhegio mare ingredientiæ circum Siciliae oras vagabantur quamvis memorabilia non exsequerentur; hoc tamen consilio audito domum reverterunt, ubi poenas dederunt quia copia data Siciliam non subiecerant.

Leontini extemplo per legatos cum Syracusanis rem componunt; recepti in eorum civitatem municipes facti sunt, urbs in castellum Syracusanorum conversa est ⁴⁾.

Ut aliae urbes haberent constitutum est quae ante bellum exortum possidebant, deinde ut Camarinorum Morgantina esset dummodo Syracusanis pecuniam pactam persolverent ⁵⁾.

1) Thuc. IV. 24. 25.

2) Hoc fere tempore Messanios ludos maxime solemnes dedisse legimus apud Placa di Reyna p. 151. Quibus cum Empedocles Philosophus, qui tum Agrigenti commorabatur, interesse vellet, Messanam profectus est. Verum in itinere curru delapsus crus fregit, quod vulnus mortem reduci Philosopho attulit cf. Diog. Laërt in Empedocle.

3) Thuc. IV. 58—65.

4) Diod. Sic. XII. 54.

5) Thuc. III. 65. *Τοιαῦτα τοῦ Ἑρμοκράτους εἰπόντος πειθόμενοι οἱ Σικελιώται*

Post haec Syracusis Diocelis popularis imperii forma exstitit ascita in alias urbes, fortasse etiam in Messanam ubi semper democratia oligarchiam impugnavit eique identidem molestias praebuit 2).

Messanii his fere temporibus (423) aliquantisper Locrensibus subjecti fuerunt, qui, cum seditio exarsisset, ab altera civium parte vocati eo colonos miserunt, quibus iam altero anno eiectis ad concordiam inter se rediisse videntur 3). Forsitan tales civium factiones quodammodo ex duplici incolarum origine explicari possunt, ita enim ut optimatium sive Messeniorum factio adversus Samiorum et Zancaeorum posteros Locrensium auxilium adierit, quos et ipsos Dorico genere ortos et Dorica reipublicae forma usos esse neminem fugit 4). Nec scio an easdem civium partes Messanae inveniamus septem annis post, quo tempore Athenienses altera expeditione Siciliam petierunt.

Siciliae enim urbes paulisper tantum pacem sustinuerunt, mox autem (416) nova dissensione orta Segestanos inter et Seli-

αὐτοὶ μὲν κατὰ σφᾶς αὐτοὺς ζυγηρέθησαν γνώμη ὥστε ἀπαλλάσσεσθαι τοῦ πολέμου ἔχοντες ἢ ἕκαττοι ἔχουσι, τοῖς δὲ Καμαριναίοις Μοργαντίνην εἶναι ἀργύριον τακτῶν τοῖς Συρακοσίοις ἀποδοῦσιν. οἱ δὲ τῶν Ἀθηναίων ζύμμαχοι παρακαλέσαντες αὐτῶν τοὺς ἐν τέλει ὄντας εἶπον ὅτι ζυμβήσονται καὶ αἱ σπονδαὶ ἔσονται κἀκείνοις κοιναί. ἐταινεσάντων δὲ αὐτῶν ἐποιῶντο τὴν ὁμολογίαν, καὶ αἱ νῆες τῶν Ἀθηναίων ἀπέπλευσαν μετὰ ταῦτα ἐκ Σικελίας.

Siefert vitiosum hunc Thucydidis locum dicit, cum urbs Morgantina sita esset inter Syracusas et Catanam itaque longe remota a Camarinis. Cur vero mutare velit Καμαριναίοις in Καταναίοις non assequor.

Sunt qui putent alteram Morgantinam fuisse, sed haec coniectura omni sensu communi caret, hoc enim modo omnes ferme difficultates geographicae e medio tolli possunt.

2) Diod. Sic. XIV. 40. 5, in bello contra Dionysium.

3) Thuc. V. 5.

4) Polyb. XII. 5. Πρῶτον μὲν, ὅτι πάντα τὰ διὰ προγόνων ἔνδοξα παρ' αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γυναικῶν, οὐκ ἀπὸ τῶν γυναικῶν, οὐκ ἀπὸ τῶν ἀνδρῶν, εἴη οἷον εὐθέως, εὐγενεῖς παρὰ σφίσι νομιζέσθαι τοὺς ἀπὸ τῶν ἑκατὸν οἰκιῶν λεγομένους.

nuntios, illi cum a Selinuntiiis eorumque sociis Syracusanis bello premerentur, legatione missa Athenienses auxilio vocarunt, unacum Leontinis, qui a Syracusanis terra et urbe exempti et Syracusas traducti erant ¹⁾. Athenienses tum, Alcibiadis imprimis consilio motos, Niciam Alcibiadem Lamachum cum classe misisse unicuique notum est ²⁾ (415). Qui cum Siciliae et Magnae Graeciae civitates de societate et auxiliis adissent, a paucis tantum quod optaverant et expectaverant responsum tulerunt, pleraeque enim aut Syracusanorum signa secuti sunt aut certe Atheniensium societatem aspernati; velut Messanii, qui publice prorsus negaverunt se exercitum in urbem recepturos esse, etiamsi mercatum extra urbem praebendum Atheniensibus non abnuerunt ³⁾. Nihilosecius altera civium factio haud multo post clam cum Alcibiade de urbe tradenda egit, id quod revera factum esset, nisi Athenienses illum ex imperio avocassent ut causam diceret de crimine Hermarum violatarum ⁴⁾.

Quem nuntium ut accepit statim pruisquam ex insula decessit, eos qui cum Syracusanis faciebant certiores fecit de prodicione contra eos parata. Quare illi, postquam alterius factionis principes perniciiei dederunt, armis raptis vigilanter urbis aditus et portum custodierunt, ita ut post tredecim dies Athenienses victuum inopia et procellis moti re infecta Naxum in castra hiberna abire cogrentur ⁵⁾ (415.) Ceterum nec Mes-

1) Illius inter Segestanos et Selinuntios dissensionis causas Meltzer I. Ann. 67. p. 508 fuisse perhibet ius connubiale a Segestanis petatum ab aliis abnutum necnon lites propter territorium ad Mazaram aut ad Halicyum occupandum ortas. Cf. Thuc. VI. 6. Diod. XII. 82/84. Holm. II. p. 364.

2) Thuc. VI. 8. 15. 30. Diod. Sic. XII. 83/84. Ibidem XIII. 4—5.

3) Thuc. VI. 50. Diod. Sic. XIII. 6.

4) Thuc. VI. 28. 60.

5) Thuc. VI. 74. Plut. vita Alcib. c. 22.

sanii nec Rhegini postea bello se immiscuerent¹⁾, quod mox totum in Syracusanorum confinium translatum est.

Atheniensis quidem tertio inde anno magna clade accepta ex Sicilia expulsi sunt, sed paulo post nova certamina eaque graviora exarserunt, quibus brevi tota insula expleta est. Quamquam enim Segestani Selinuntiis ambiguum regionem sua sponte tradiderant ne peiora paterentur²⁾, non tamen cum illi magnam quoque urbi suae finitimae terrae partem sibi arrogassent (410), a Carthageniensibus contra eos auxilium petierunt.

Legatio Carthageniensium et Segestanorum Selinuntiis ut arbitrium Syracusis committant persuadere conatur, quibus recusantibus Carthagenienses non diutius dubitant quin Segestanis succurrant, praesertim cum hi se dicto eis audientes fore profiteantur si periculo liberarentur. Hanc urbem unacum aliis iam ante a se de Phoenicibus expugnatis τῇ ἐπικρατείᾳ in Sicilia addere eis in animo erat. Principio veris proximi anni (409) Hannibalem suffetem, Gisgonis filium, magno cum exercitu miserunt³⁾. Quo bello, primum inter Segestanos et Selinuntios Syracusanosque gesto, mox omnes Sicilienses implicati sunt, cum non Ionum contra Dores, sed Graecorum contra barbaros esset certamen.

1) Thuc. VII. 57. 58. Neutrius dumtaxat civitatis mentio fit apud Thuc. VII. 58. ubi Atheniensium et Syracusanorum socios enumerat. Cum Messenios e Naupacto et e Pylo memorat haud dubie Messeniorum exules significat non ipsius urbis incolas et ne verbo quidem attingit eorum absentiam, quamquam Agrigentini absentes nominantur. 57. 8. καὶ οἱ Μεσσηνιοὶ νῦν καλούμενοι ἐκ Ναυπάκτου καὶ ἐκ Πύλου τότε ὑπ' Ἀθηναίων ἐχομένης ἐς τὸν πόλεμον παρελήφθησαν 58. 1. Ἀκραγαντίνων ἡσυχάζοντων.

2) Diod. Sic. XIII. 43, 44.

3) Diod. Sic. XIII. 54. secundum Timaeum centum milia hominum. Cf. Xen. Hell. I. 1. 37. Secundum Ephorum ducenta milia. Cf. Meltzer l. Anm. 68. pag. 509.

Hannibale a Motyis ubi classem appulerat appetente Selinuntii a Syracusis Gela Agrigento auxilium rogant, qui urbe ab Hannibale iam oppugnari coepta tandem advenerunt. Post novem dies Hannibal urbem capit diripit et inde ut avum ulcisceretur Himeram contendit, quae urbs Syracusis et aliunde accersitis subsidiis munita erat.

Urbem circumsidit, Himeraei eruptione facta eum repellunt, dum classis Syracusana ad portum accedit, qua re animadversa classis Carthageniensis Syracusas petit ¹⁾. Omnia subsidia et omnes qui evadere possunt urbem deserunt, quam defensione nudatam Hannibal expugnat, funditus evertit, tria milia virorum captivorum mactari iubet eodem loco quo avus ceciderat.

Haec omnia minus tribus mensibus ab Hannibale in Sicilia gesta sunt ut Meltzer ²⁾ I 252—259 ³⁾ perspicue exhibet.

Selinuntiorum plerique Agrigentum confugerunt, Himeraci a Messaniis excepti sunt. Neque praeterea Messanii bello segnes se praestiterunt; immo hinc potissimum recentibus viribus adversus Poenos bellum gestum est, posteaquam Hermocrates Syracusanus ⁴⁾ in Siciliam rediit. Qui cum ortis interea apud Syracusanos turbis quamquam absens exilii poena affectus Messanam venisset, magna pecuniae copia a Pharnabazo Persarum satrapa accepta, quinque navibus constructis, mille Messaniis

1) De Himerae oppugnatione vide Front. Strat. III. 10. 3.

2) Cui maxima in omnibus rebus, quae ad Carthaginem pertinent, auctoritas tribuenda est.

3) Anh. Ann. 67—68.

4) Hermonis filius, idem, cuius opera Siciliae urbes anno 424° in pacem redierant, deinde cum Heraclide et Sicano Syracusanorum dux electus adversus Athenienses (Thuc. VI. 72 73) tum classi praefectus, quam Lacedaemoniis auxilio miserunt anno 412° (Thuc. VIII. 26. Diod. XIII. 34), postea tamen (411) exilii damnatus (Diod. XIII. 63. Thuc. VIII. 85).

mercede conductis totidemque Himeræis qui post urbis excidium patria extorres Messanam refugerant assumptis, Syracusas navigat, quod oppidum ope factionis suae quin ingressurus esset non dubitabat. Non compos voti factus milites e navibus educit ac Selinuntem commigrat, qua urbe potitus cum Selinuntiorum qui supererant tum alios ex vicinis urbibus milites congregat, brevique exercitum sex mille militum conficit. Unde cum copiis egressus Motyarum et Panormi agros depopulatur incolas fugat intra moenia compellit omniumque qui sub Carthageniensium dominatione erant ¹⁾ fines vastat.

Tertio anno abhinc (406) Carthagenienses novis copiis missis ²⁾ ducibus Hannibale et Imilcone, Hannonis filio, (quia Hannibal propter provectam aetatem solus imperium tenere nolebat), Agrigentum aggressi sunt. Agrigentinis autem opem tulerunt Syracusani, Messanii Camarinenses Gelenses Italique veriti ne Agrigentum eandem fortunam subiret ac Selinus et Himera. Ad Himeram flumen proelium commissum est ³⁾, quo Carthagenienses victi sex milia hominum amiserunt; nihilo tamen minus Agrigentini eodem anno post octo mensium obsidionem fame coacti ex urbe discesserunt ⁴⁾. Dum haec geruntur, Dionysius Syracusanorum praetor constitutus tyrannide potitus est, cum Hermocratis filia in matrimonium ducta auctoritatis aliquid sibi comparasset ⁵⁾ (406/405.) Qui mox Graecarum civitatum

1) Diod. Sic. XIII. 63.

2) Diod. Sic. XIII. 80.

3) Diod. Sic. XIII. 85/87.

4) Diod. Sic. XIII. 88/90.

5) Idem antea in Hermocratis assectatoribus fuerat. Cum ille Syracusas vi et armis redire conatus obruncatus esset, Dionysius cum paucis letum effugerat (Diod. XIII. 75). Tum populi gratiam sibi conciliavit, cum ducibus crimini dedissent, quod Agrigentum non servassent (Diod. XIII. 91—96).

libertati magis timendum hostem se praebuit quam Carthaginienses, quos compluribus bellis mirum quanta felicitate persecutus est. Sequenti enim anno Carthaginienses Gelam et Camarinam in potestatem suam redegerunt victo Dionysio, qui Gelensibus auxilio venerat (405) ¹⁾; mox tamen Imileo, non tam Dionysii armis quam morbo qui per copias grassabatur commotus, legatos misit de pace cum tyranno acturos, quae petenti concessa est his conditionibus:

1^{mo} ut coloniae Carthaginiensium et Sicani eorum ditionis essent, Agrigentini Selinuntii Himeraei Gelenses Camarinenses stipendiarii fierent neve muros urbium restituerent.

2^{do} ut Leontini, qui etiamtum Syracusanis paruerant, et Messanii omnesque Siculi nullius dominationi subiecti libertate gauderent.

3^{io} ut Syracusani Dionysio subditi manerent ²⁾.

4^{to} ut captivi et naves utrinque captae restituerentur.

Itaque bello composito (405/404) Imileo, cuius dimidiam fere copiarum partem pestis in Sicilia consumpserat, in Africam revertitur. Hoc initium fuit Dionysii potestatis, unde profecta brevi tempore eo amplitudinis pervenit, ut non Siciliam modo verum etiam Italiam terrore impleret.

Primum enim, simulac bellum cum Carthaginiensibus composuit, Siculorum urbes subigere conatus effecit ut vel Messanii libertati suae non perperam metuerent, quamquam tum in summo opum culmine fuisse videntur ³⁾. Ergo mox oblatam occasionem opprimendi cum non praetermiserunt (404/403.)

1) Diod. Sic. XIII. 409.

2) Diod. Sic. XIII. 114.

3) Si vera Diod. narrat (XIV. 40. cf. 8). Messanii quattuor milia peditum, quadringentos equites, triginta triremes tenuerunt.

Cum enim tyrannus Herbessam, Siculorum urbem, oppugnaret milites seditione in castris excitata, quibus nonnulli fugitivi, qui Aetnam incolebant, se adiunxerant, Epipolas occuparunt antequam ipse in urbem redire posset. Neque Messanii et Rhegini, ad quos auxilia contra Dionysium flagitantes legatos miserunt, Syracusanis non tantum non defuerunt, imo vel omnibus copiis eos adiuverunt. Attamen Dionysio fortuna adeo favit ut denuo urbe potitus sit, tam Campanorum ope quam Lacedaemoniorum perfidia, qui, cum Syracusanis auxilium ferre simularent, duce interfecto, cum tyranno societatem inierunt¹⁾. Tam secunda fortuna usus audacius iam incedere Dionysius et Graecorum quoque civitates aperte aggredi²⁾, e quibus Naxios et Catanenses paulo post in servitute abduxit. Messanii vero, qui soli ex Siciliensibus aliquantum virium ei opponere potuerant, adverso prioris expeditionis eventu deterriti, amicitiam eius ambire quam odium contrahere maluerunt. Verum enimvero tunc nemo iam tyranni potestati habenas inhibere potuit.

Rhegini Dionysium imperii semper limites proferre iamque Naxios et Catanenses, cives suos, subegisse cum viderent, libertati suae periculum ab ipso metuere incipiunt. Quocirca satius esse rati bellum inferre quam illatum sustinere, bello eum persequi statuunt, praefectos eligunt et sex milibus peditem totidem equitum quinquaginta navibus — si Diodoro XIV 40 fides habenda est — Messanam proficiscuntur. Hic duces Messaniorum facundis verbis facile inducunt ut ne consensu quidem populi expectato exercitum educant contra

1) Diod. Sic. XIV. 7/10.

2) Diod. Sic. XIV. 14/16.

communem hostem. Vix e finibus Messaniorum egressi erant, cum Laomedontis Messanii ad milites oratio, qua Dionysio, a quo nullam acceperint iniuriam, iniuste bellum inferri demonstravit, consiliis omnibus intercedit.

Messaniorum enim milites, quoniam populus expeditionem suffragio suo de more non comprobaverat, ducibus relictis domum redeunt. Quo facto Rhegini, quorum vires solae illi bello pares non erant, etiam patriam repetunt. Itaque Dionysius, qui cum exercitu ad fines Syracusarum processerat, proelio cum hostibus conflicturus suos itidem domum reducit.

Messanii deinde et Rhegini de pace confirmanda oratores ad Dionysium mittunt, qui quidem cum intellexeret e re sua fore ut hae inimicitiae tollerentur precibus eorum sponte sua locum dedit ¹⁾ (399/398).

Nihilominus ne Dionysius quidem illos offendere ausus est, sed benignissimum se praestitit eorumque amicitiam quocumque modo impetrare studuit. Anno enim insequenti (398) iterum Carthageniensibus bellum illaturus litis causa Carthaginem misit qui poscerent ut urbes Graecas ab iis in Sicilia occupatas relinquere, quod cum se facturos esse negarent operam navavit ut cum aliarum Siciliae urbium, tum Rheginorum et Messaniorum benevolentiam sibi adiungeret, quos magnas copias sub armis tenere vidit. Sollicitus igitur ne in Carthageniensium societatem transirent, contra arbitratus eos sibi multum profuturos Messaniis magnam agrorum partem in eorum confinisam ultro donavit et Rheginos ad mutua connubia invitavit ²⁾ ut hisce tantis beneficiis animos eorum sibi obstrictos redderet.

1) Diod. Sic. XIV. 40.

2) Diod. Sic. XIV. 44.

Rhegini tamen foedus cum tyranno aspernati sunt, Messanii, quod ei auxilium tulerunt, mox infelicissimo fato luerunt. Namque primum Dionysius, magnis copiis contractis, Lacedaemoniis quoque aliisque Graecis militibus mercede conductis prospere bellum gessit et postquam iter faciens a Camarinensibus Gelsenibus Agrigentinis Himeraeis Selinuntiis libentissime adiutus Sicanos in dicionem accepit, Carthageniensium territorium occupat, praeter quinque urbes (Halicyas, Soluntum, Segestam, Panormum, Entellam), denique Motyas aggressus diuturna obsidione expugnat, repulso Imilcone, qui urbem cum centum triremibus obsidione liberare conatus est ¹⁾. Quibus peractis aestate ad finem vergente exercitum Syracusas reduxit, Leptini fratri Segestae et Entellae oppugnatione mandata.

Altero autem anno (396) diversa fortuna pugnatum est. Imilco interea certior factus Dionysii Carthagine exploratores esse, omnibus navium praefectis iussa sigillis munita nisi in mari non reseranda tradidit. Sibi proposuerat Panormum etiamtum Carthagini fidelem petere; cui propius accedenti Leptines obviam vectus maiorem navium onerariarum eius partem demersit ²⁾. Imilco, postquam salva classi navali Panormum venit, Erycem quae ad Dionysium defecerat proditione cepit, Motyas a Dionysio non procul in Egestae finibus versante desertas expugnavit, Halicyenses, qui se Dionysio dederant, denuo in potestatem accepit, quibus damnis permotus Dionysius mox cum copiis Syracusas rediit. Quo facto Poenus, cum a nullo iam impediretur quin totam insulam sibi subiceret, armis ad fretum usque prolatis, Messanam potissimum in potestatem redigere

1) Diod. Sic. XIV. 47—53.

2) Meltzer I. pag. 286/288.

statuit, cum propter portus praestantiam, tum quo facilius et Italica et Graeca auxilia maris transitu intercluderet et classem, si qua ex Peloponneso mitteretur, ad Siciliam appellere prohiberet. Itaque societate coniuncta cum Himeraeis et Cephaloeditanis, postquam Lipara urbe potitus pecuniae copiam ab illius insulae incolis accepit, adversus Messanam movit ¹⁾. Classem sequi iussit, ipse cum pedestri exercitu itinere quam celerrimo Peloridem profectus castra posuit haud procul ab urbe (centum stadiis).

Messanii sociorum auxilio destituti nec suorum equitum ope adiuti, quos Dionysius secum ductos Syracusis retinebat, ut hostes appropinquare compererunt de bello inter se discordes erant. Haec erat causa cur magna pars incolarum, cognita hostium multitudine, cum muris ruinam instare viderent nec satis temporis esse ad parandam defensionem, illico abiecta omni spe sustinendae obsidionis, uxores liberosque et optima quaeque rerum, quae moveri poterant, in finitimas urbes abducere coeperint; alii veterem sortem recordati, ex qua Carthaginienses in urbe aquam portaturi esse dicebantur, cum eos Messanae servos fore sperarent, et ipsi bono animo fuerint aliosque multos exhortati sint ut pro libertate strenue pugnarent. Portissimos igitur iuvenum electos statim Peloridem miserunt, qui classem saltem a terra defenderent; at id ipsum perniciei properatae causa fuit. Imilco enim ducentas naves armatas urbem aggredi iussit, sperans Messana defensoribus nudata facile classem potituram esse. Quae spes eum non fefellit. Cum autem naves secundo vento portum celeriter intrassent, Messaniorum copiae, animadverso errore citato quidem gradu rever-

1) Diod. Sic. XIV. 56,58.

terunt, sed frustra quia sero venerunt. Hostes enim muros iam ascendebant moxque urbem haud difficili opera expugnaverunt. Messaniorum pars acriter pugnans interiit, alii in finitimas urbes aut per montes in vicina castella se receperunt, contra quae ob optimam munitionem et defensorum virtutem nihil efficere potuit, reliqui aut in hostium manus inciderunt, aut, cum ad extremum portum confugissent, ab hoste circumventi ad ducentos in mare desiluerunt, quorum maiore parte fluctibus abrepta ceteri nando feliciter in Calabriam pervenerunt.

Messanae muros Imilco destrui, domos solo aequari nec lapidem in lapide relinqui omnia comburi et dirui iussit. Quod per ingentem exercitum brevi peractum est adeo ut mox locus cognosci nequiret, quem urbs tenuerat et antiqui splendoris recuperandi nulla fere spes superesset.

Cum enim eam a sociorum civitatibus Imileo longius abesse intellexeret quam ut diu in Carthageniensium potestate maneret, optime tamen sitam esse inter omnes Siciliae urbes, id potissimum eius interfuit ut locus aut in perpetuum incolis vacaret aut quam difficillima et maxime longinqua esset restitutio. Tanto erant Carthagenienses in liberas civitates odio ¹⁾.

Deinde Imilco, cum prospere omnia sibi evenire videret, confestim Syracusanorum terrae arma inferre statuit. At ei adversa erat fortuna, primum enim magnam cladem accepit, mox, cum pestilentia in copias incideret, tanto terrore affectus est, ut clam cum Dionysio pactus quam celerrime noctu cum civium exercitu Carthaginem rediret, derelictis sociorum et peregri-

1) At fieri non potuit quin haec Messanae clades et viginti milia civium caedes cum summa Dionysii, qui foederatus huic urbi erat, infamia coniuncta esset. Certe Theodorus Syracusanus publice idcirco pro contione in eum invecus est. Cf. O. Meltzer, I. pag. 290—302.

norum copiis ¹⁾. Quo facto Dionysii opes admodum auctae sunt, praesertim cum non minor peregrinorum pars ad eum transissent. Praeterea quanto perniciosior Messaniis tanto felicior tyranno fuit belli eventus. Qui non solum periculo liberatus est, quod a Carthageniensibus ipsi institerat, verum etiam hanc occasionem oblatam non praetermisit quin optimo Siciliae aditu potiretur et freti imperium capesseret. Nihil omisit quo veterem urbi frequentiam et splendorem quam primum posset restitueret. Qua propter multa nobilissimorum hominum milia, mille nimirum Locros, quattuor mille Medmaeos ²⁾, sexcentos Messenios ³⁾ Zacyntho et Naupacto ex Peloponneso pulsos ibi collocavit. Messeniis, cum Lacedaemonii aegre ferrent homines a se eiectos tantae praestantiae sedes nactos esse, procul Messana colendam postea tradidit agri partem, quem Abacaenis ademerat mari finitimam, ubi Tyndaridem condiderunt ⁴⁾.

1) Diod. XIV. 60. 76.

2) Diod. XIV. 78 legendum *Μεδμαζίων* ex Wesselingii coniectura pro vulgato *Μεδιμναζίων*.

Hecat. apud Steph. Byzant. *Μέδμα*.

Plinius H. N. III. 5. 10 Medma.

Strabo VI. 256 *Μεδάμα*.

Medma a Locrensibus condita erat in ora Bruttii Occidentali ad flumen Metaorum.

3) Diod. Sic. XIV. 34.

4) Diod. Sic. XIV. 78.

Messana in Dionysii potestate. Civiles motus
in Sicilia post Dionysii mortem. Agathocles
Messanam sibi subiecit. Mamertini.
Pyrrhus.

Ita Messaniorum urbs quidem restituta est, non tamen libertas; fieri enim non potuit quin aliquantisper in tyrannidione manerent, qui praesidium in arce imposuerat, quamquam bis eius iugum excutere conati sunt. Non ita multo post Rhegini, timore moti ne Dionysius quem sibi propter oblatum sed a se spreto ius connubii ¹⁾ infensum esse scirent, Messanam urbem idcirco instauraret ut sibi bellum eo commodius inferre posset, cum Syracusanorum exules et omnes tyrannominus faventes in civitatem recepissent, Messanam eius dominationi eripiendam susceperunt. Postquam igitur Mylas expugnatas Naxiorum et Catanensium ²⁾ superstitionibus tradiderunt, Heloride duce exercitum exornarunt, qui Messanam oppugnaret. Is statim magna vi urbis castellum adoritur, verum Messanii a mercenariis quibusdam Dionysii adiuti tam fortiter pro salute patriae pugnabant, ut posteaquam ancipiti aliquamdiu Marte

1) Cf. supra in pag. 93. Diod. Sic. XIV. 44.

2) Horum enim urbes cum Dionysius cepisset (403) Catanam Arcesilai Naxum Proclis prodicione, incolis qui non fugerant in servitutem abductis, illam Campanis, hanc Siculis tradiderat. Diod. Sic. XIV. 15.

decertatum est, hostes quingentis amplius militibus amissis discedere cogentur. Hac victoria excitati Messanii Mylas statim oppugnant, quod oppidum ea lege eis traditum est ut Naxios incolumes abire sinerent ¹⁾.

Nec meliore fortuna paulo post veteres Messanae incolae simul cum Agrigentinis in libertatem se vindicare conati sunt, expulsis Dionysii amicis et foedere cum illo inito publico dissoluto eo tempore quo ille Tauromenium aggressus a Tauromenitanis et Rheginis cladem passus erat ²⁾. In quo sane Messaniorum virtus luculenter apparuit. Audacissimum enim facinus erat triennio post urbem prorsus deletam potentissimi regis amicitiam spernere, milites eius non modo, verum etiam amicos pellere atque adeo solos se omnibusque praesidiis nudatos novis Carthageniensium incursionibus obicere, qui anno 393° Magone duce ingenti cum exercitu Messanae bellum inferebant et agris vastatis magna inde praeda ablata Abacaenam se recipiebant. Pace denique anno 392° inter Carthaginem et Dionysium restituta ³⁾, Messaniis pristina libertas inviolata mansit. Quam ut incolumem servarent Dionysium sibi adiungere imprimis studebant, quem etsi Rhegium magno conatu debellantem amice semper suscipiebant.

Ex prima expeditione (389) rebus infeliciter gestis navi fugiens tandem multa nocte portum Messaniam attigit, sed altero anno numerosissimo cum exercitu Syracusis profectus est. Post quintum in itinere diem Messanam appulsus copias refici curabat, fratre interea Thearide ad Liparenses insulas, ubi decem Rhegi-

1) Diod. Sic. XIV. 87.

2) Diod. Sic. XIV. 88.

3) Cf. O. Meltzer, I. pag. 307—308.

norum naves inspectas esse ferebant, cum quadraginta navium classe misso, qui decem navibus captis Messanam ad Dionysium subito se recepit et captivos Messaniis servandos tradidit. Tum exercitu ad Cauloniam trajecto urbem corona cingit, multis machinis acriter oppugnat, ad pacem durissimis conditionibus petendam cogit et obsidione undecim mensium (387) tandem Rhegio potitus est ¹⁾.

De Messaniorum vero rebus per reliquum tempus quo Dionysius regnum tenuit omnino nulla mentio invenitur, nisi quod pars eorum in Peloponnesum se contulisse fertur, cum Epaminondas Messenios undique convocasset ad urbem condendam (369—368 ²⁾). Neque traditur quo tempore aut qua fortuna adiuti Dionysii dominationem exuerint, forsitan aut paulo ante eius mortem recuperaverunt libertatem, cum ille a Carthaginiensibus cladem accepisset, aut simulac morbo confectus est ³⁾ (368—367). Certe ubi prima posthac eorum mentio fit. liberos eos iam esse apparet.

Syracensis interea filius eiusdem nominis patri ⁴⁾ Dionysio successit et sub imperii initium Dionem, patruelem et cognatum, foedere cum Carthaginiensibus contra se contracto suspectum, Sicilia decedere iubet. Qui cum in Graeciam confugisset consilium cepit patriae liberandae ⁵⁾. Itaque cum militibus quibusdam Zacyntho profectus in Siciliam venit (357). Ibi

1) Diod. Sic. XIV. 403—440 sqq. Omnes naves tradere coacti sunt, triginta talenta expendere, centum obsides dare.

2) Diod. Sic. XV. 66 hic sibi non constat, cum supra narraverit Messenios a Dionysio ex urbe Messana rursus abductos esse.

3) Diod. Sic. XV. 73.

4) O. Meltzer, I. pag. 317 sqq.

5) Plut. Dion c. 12—21. Diod. Sic. XVI. 6.

Dionysium paulo ante cum octoginta navibus in Italiam abisse cognoscit et Agrigentorum et Gelensium Camarinensiumque copiis adiutus Syracusas castra movit ¹⁾. Neque Messanios neque Graccos Italiae incolas huic certamini defuisse Diodorus prodit, verum omnes maxime parato animo ei opem tulisse ²⁾. Quorum auxilio usus libertatis vindicem se ferens Syracusas dominatione exemit (356), quam duodequingenta annos pertulerant ³⁾, et cum Dionysium nequiquam imperium recuperare conatum in Italiam fugere coegisset, tandem filium quoque eius Apollocratem eo redegit ut arcem sibi traderet quam solam etiamtum occupatam habebat ⁴⁾. At civium discordia pariter atque eius invidia Dioni multum obfuit, imprimis Heraclidis navibus praefecti insidiis aucta, viri seditiosissimi qui cum Messanae cum classe commoraretur huius quoque urbis cives adversus Dionem irritavit ⁵⁾. Qui vero cum apertum esset eum clam cum Dionysio societatem inisse, cito capite scelerum poenam dedit ⁶⁾.

Brevi autem tempore post Dio et ipse a Callippo Atheniensi trucidatus est, Zacynthiorum quem secum duxerat mercenariorum ducem ⁷⁾. Is postquam per tredecim menses Syracusas tenuit in Catanam impetu frustra facto ne reverti quidem in urbem potuit ⁸⁾. Quam occupatam Hipparinus Dionysii filius duo annos sub imperio retinebat (354).

1) Plut. Dion 22—27. Diod. Sic. XVI. 9.

2) Diod. Sic. XVI. 9.

3) Diod. Sic. XVI. 10. Plut. Dion 28—37.

4) Plut. Dion c. 50.

5) Plut. Dion 38—48.

6) Plut. Dion 53.

7) Plut. Dion 54—57. Nepos Dion. 8. 9, qui autem Callicratem eum vocat. Diod. Sic. XVI. 31.

8) Plut. 58. Diod. Sic. XVI. 36.

Callippus interea Messanos aggressus ¹⁾ postquam plurimos milites amisit repellitur. Cum omnibus Siciliae civitatibus aequè invisus nusquam receptus esset, Rhegium tandem se contulit quam urbem cepit eiecto Dionysii praesidio ²⁾ (351). Mox tamen cum militum quoque odium contraxisset tot nefanda facinora cruenta morte luit a Leptine et Polysperchonte caesus eodem ense quo Dionem perisse ferunt. ³⁾ Dum ita omnis Sicilia civilibus motibus turbatur, Syracusani et ipsi factionibus agitati multorum deinceps tyrannorum imperiis premi coepti sunt. Quorum alio alium bello petente Nysaeus postremo plurimum virium collegisse videtur. Quo superato Dionysius decimo postquam eiectus erat anno iterum Syracusas revertitur et multo saeviore quam antea dominatione cives oppressit ⁴⁾ (346). Quam ob causam optimus quisque civium Hicetae Leontinorum tyranno se credidit ⁵⁾. Sed cum hunc non tam ipsorum libertati sustinendae quam suae potestati augendae operam dare brevi intellexissent, ita ut dubitare nequirent quin pro uno tyranno duo exstitissent, denique a Corinthiis auxilium petierunt.

Corinthii Timoleonem acerrimum tyrannidis hostem miserunt ⁶⁾ (345), qui cum mirum quanto consilio quantaque virtute et felicitate tyrannis simul et Carthageniensibus bellum intulisset, haud mediocriter a Messaniis, qui Carthageniensium opes veriti partes eius amplexi erant, adiutus est. Hi vero, dum ille cum

1) Plut. l. l.

2) Diod. Sic. XVI. 45.

3) Plut. l. l.

4) Plut. Timoleon 1.

5) Plut. Dion 58.

6) Cum Timocratem fratrem tyrannidis cupidum interemisisset a Corinthiis admotus est ex rebus gestis cognitum iri utrum parricida an tyrannicida habendus esset: Diod. Sic. XVI. 65. 66. Plut. Tim. 3—8. Nepos Timol. 1.

Dionysio et Hiceta, qui se contra communem hostem coniunxerant, apud Syracusas pugnat, in Carthageniensium potestatem abierunt, mox autem eius ope eorum dominatione liberati sunt ¹⁾ (344). Posthac Hippo Messaniorum quidam ibi tyrannidem sibi arrogavit et post pugnam ad Crimisum ²⁾ factam cum Hiceta et Mamercio Catanensium tyranno societatem iniit adversus Timoleonem. Timoleon autem cum Hicetam ab ipsis militibus traditum accepisset, Mamercum fudisset, cum Carthageniensibus pacem iunxit, qua statutum est ut Halycus finis utriusque populi territorii esset neve Carthagenienses cum tyrannis societatem ullam inirent ³⁾. Itaque cum Mamereus post cladem factam a militibus desertus ad Hipponem Messanam confugisset, Timoleon urbem terra marique circumsevit. Hippo navi fugere conatus sed a Messaniis captus cum liberis coram populo interfectus est; Mamereus, qui se Timoleonti dediderat, ab eodem Syracusanis traditus latronum supplicio affectus est ⁴⁾ (339). Ita Timoleon octo annorum spatio non Syracusas tantum sed totam Siciliam, quatenus a Graecis colebatur, Carthageniensium simul et tyrannorum potestate liberavit ⁵⁾. Ipse privatus Syracusis obiit et magnificis exsequis cohonestatus est ⁶⁾ (337). Neque tamen Sicilienses per maius tempus quam viginti annos pace recuperata frui potuerunt.

1) Diod. Sic. XVI. 69.

2) Meltzer o. c. I. 330—332.

3) Plut. Tim. 34. Diod. Sic. XVI. 82. Catanam Mamerei milites Timoleonti tradiderunt, cum ille in Italiam vectus esset, ut Lucanos ad bellum vocaret. Meltzer I. 336—338.

4) Plut. l. l.

5) Plut. Tim. 37. Diod. Sic. XVI. 90. Fertur Timoleon apud Mylas in bello contra Mamercum et Hipponem lumine oculorum privatus esse nec tamen ista calamitate adduci potuisse ut a bello antequam tyrannos cepisset desisteret. Cf. Plac. di Reyna p. 172.

6) Diod. Sic. l. l. Nepos. Tim. 3—5.

Anno 317° Agathocles 1) Carcini filius exulis Rhegii infimo loco nati Syracusarum tyrannus évadit. Ceperat is Messaniorum castellum quoddam seque triginta talentis numeratis illud redditurum promiserat. Accepta vero pecunia non modo promissis minime stetit, verum ipsam quoque Messanam in ditionem redigere studuit. Partem murorum eius urbis collapsam esse cognoverat, terrestri itaque itinere equites Messanam proficisci iubet, ipse classem noctu admovet. At certiores in tempore de insidiis facti Messanii irrita eius consilia reddunt. Nihilominus Mylarum castellum corona cingit et per ditionem capit; inde Syracusas repetit. Sequenti aestate denuo in Messanenses expeditionem suscipit ac prope urbem castra poni iubet, quam magna vi nulla mora interposita oppugnat. Sed virtute exulum Syracusanorum, quorum plurimi in hanc urbem confugerant, nec minore salutis suae studio quam tyranni odio flagrabant, effectum est ut nullum alicuius momenti damnum oppido inferre posset. 2) Interea Carthaginiensium legati tyrannum accedunt ac violatae pacis, qua inter alia constitutum erat ne ullo modo Messaniorum libertati officeret, reum agunt. Pax itaque reficitur et tyrannus castellum Messaniis reddere cogitur. Quo facto legati in Africam revertuntur, Agathocles Abacaenam, oppidum foedere sibi coniunctum, migrat. Dum Agathocles in diripiendis urbibus pergit exules Syracusani (314) qui Agrigenti degobant proceres civitatum ad debellandum tyrannum commovere student, satius esse dicentes eum antequam plus virium contrahat aggredi quam necessitate deinceps compulsi opes eius propellere. Placuit haec

1) Meltzer I. pag. 355 sqq.

2) Diod. Sic. XIX. 65.

ratio Agrigentinis, qui cum Gelensibus et Messaniis foedus ad tyrannum iunctim debellandum sanciant 1).

Societate inita cum Laedaemone ducem accersivirunt Acrotatum, Cleomenis regis filium, qui cum in plurimorum civium invidiam incidisset, praeterea externarum rerum cupidus iniussu ephorum libentissime occasionem arripuit patriae relinquendae. Idem Tarentinos, quos iam antea in Italia versatus cognoverat, commovit ut viginti naves auxilio mitterent ad Syracusanos tyrannide liberandos. Sed simulac imperium Agrigentinum suscepit, superbius iam se gerere coepit sicut domi fecerat, neque tamen quidquam egit quod memoria dignum esset. Itaque mox invisus tandem Sosistrato per dolum interempto, exulum clarissimo, eo invidiae venit ut noctu fugere cogeretur. Deinde cum Tarentini classem e Sicilia revocassent, Agrigentini et Gelenses Hamilcaris ope cum Agathocle in foedus restituti sunt, ut ex Graecis urbibus Heraclea Selinus Himera ut antea in Carthageniensium potestate essent, aliae vero omnes, Syracusanis summum imperium obtinentibus, iuris sui forent. Messanii autem num hanc pacem inierint vehementer dubitandum est 2). Certe illi soli perseverarunt in hostili animo adversus Agathoclem, quam ob rem omnes Syracusanorum exules eo se receperunt.

Denique Agathocli contigit ut hanc quoque civitatem sibi subiceret 3) (312).

1) Diod. Sic. XIX. 70. 71. Meltzer I. 358—360.

2) Diod. Sic. XIX. 102.

3) Diod. XIX. 71. Ἀκραγαντῖνοι δὲ καὶ Γελῆσοι καὶ Μεσσηνιοὶ κατέλυσαν τὸν πρὸς Ἀγαθοκλέα πόλεμον tradit, sed infra cap. 102: οἱ μὲν φυγάδες τῶν Συρακοσίων ἤθροίσθησαν εἰς τὴν Μεσσηνίαν, ταύτην δρῶντες λοιπὴν οὔσαν τῶν ἀλλοτρίως ἐχουσῶν πρὸς τὸν δυνάστην. Quod quidem probaliter videtur.

Pasiphilus enim cum exercitu adversus Messanios missus, cum necopinato in agrum impetu facto multos captivos multamque praedam abduxisset, facili opera eos commovit ut Syracusanis exulibus eiectis cum Agathocle in bonam gratiam redire mallent quam perpetuis bellis fatigari. Messanii spe componendi belli exules Syracusanos urbe pellunt et Agathoclem adventantem cum exercitu recipiunt. Tyrannus humanissimum se civibus initio praestat et callide statim ut exules, quos ad legum normam oppido excedere iusserant, restituerent persuadet. At paulo post qui antea conatibus eius restiterant, sexcentos minimum, Messana et Tauromenio accersit omnesque laqueo suffocari iubet. Bellum enim in Carthagenienses meditati nihil aptius videbatur quam omnes, quos sibi minus faventes noverat, interimere. Tum Messanii, qui hospites sibi amicos quorum ope vires tyranni frangere potuissent eiectos, cives praeterea Agathocli minus bene cupientes sublato seque homines ob seclera exilio affectos recipere coactos videbant, vehementer facti poenituit. At quo minus publice indignationem prae se ferrent Agathoclis potestas obstitit. Qui quidem Agrigentum inde movit ut hoc quoque oppidum diriperet ¹⁾.

Syracusanorum tamen exulum princeps Dinocrates a Carthageniensibus auxilium petivit, qui Hamilcarem magno cum exercitu miserunt ²⁾ (311). Hamilcar quamquam magnam classis partem procella amiserat, brevi tamen per mercenarios et Sicilienses socios vires reparavit, ita ut quadraginta peditum quinque fere equitum milia haberet ³⁾. Cum igitur inter Ecnomum montem

1) Diod. Sic. 103/104.

2) Diod. Sic. XIX. 104.

3) Diod. Sic. XIX. 106.

et Himeram flumen, proelio commisso, Agathocles magnam cladem accepisset (311), statim Camarinenses Leontini Catanenses Tauromenitani Messanii Abacaeni aliique ad Hamilcarem transierunt ¹⁾. Tanto omnes post hanc stragem odio in tyrannum ferebantur.

Agathocles tamen tanta erat potestate ut Gela, quo se primum receperat, Syracusas incolomis rediret. Dum Carthagenienses Syracusanorum portum obsident, ipse, cum consilium cepisset illorum terrae bellum inferendi, Antandro fratre Syracusis relicto in Africam transiit ²⁾ (310). Cum ibi ancipite Marte pugnaretur, interea in Sicilia Agrigentini duce Xenodico Gelenses Leontinos Camarinenses in libertatem vindicarunt ³⁾ (309). Ii quidem mox Xenodico victo in urbem se receperunt ⁴⁾ (307). Simul Agathocles ipse in Siciliam transgressus cum duobus militum milibus Archagatho in Africa relicto, Heracleam Thermas Cephaloedium Apolloniam subegit ⁵⁾. Dinocrates autem exulum dux brevi magnum exercitum contraxit, ita ut ne Agathocles quidem cum illo configere auderet ⁶⁾. Neque multo post, cum in Africam revertisset, victus est et ita quidem victus ut clam in Siciliam fugeret copiis relictis ⁷⁾ (306). Milites autem, filiis eius trucidatis, cum Carthageniensibus pacem inierunt, ut omnes urbes captas redderent et trecentis talentis acceptis in Siciliam reduces fierent ⁸⁾.

1) Diod. Sic. XIX. 110.

2) Diod. Sic. XX. 3 sqq. cf. Meltzer I. 370—385.

3) Diod. Sic. XX. 31. 32.

4) Diod. Sic. XX. 56.

5) Diod. Sic. XX. 55. 56.

6) Diod. Sic. XX. 57.

7) Diod. Sic. XX. 64/69. Meltzer I. pag. 404. 405.

8) Diod. Sic. XX. 69.

Nihilo secius in Sicilia Agathocles ad id potentiae fastigium evectus est, ut brevi nemo iam esset qui ei obstare conaretur, praesertim postquam, Agrigentinis devictis, exulibus quos in deditionem acceperet perfide et crudeliter obruncatis, postremo cum Carthageniensibus quoque pacem composuit ¹⁾. Itaque impune iam per maria praedari potuit ²⁾. Tandem cum duodetriginta annos regnasset, duo et septuaginta annos natus (289) impio sui nepotis facinore mortem oppetiit vita anteacta dignam. Postquam enim Archagatum, filiorum maximum natu, in Africa a militibus trucidatum esse comperit, alterum ex filiis Agathoclem tanto amore prosequabatur ut ei regnum relinquere cuperet. Quod cum Archagathus filius patris eiusdem nominis in Africa trucidati intellexisset, avunculum primum de medio sustulit, mox etiam avo ipsi insidias struere coepit. Dum igitur de avo internecando cogitat, Maeno, Segestanorum unus quos Agathocles crudelissime persecutus erat, promptissimum se obtulit ad scelus perpetrandum et veneno tyrannum interemit ³⁾. Tamen neque Archagathus ex facto fructum cepit et Sicilia tantum abfuit ut in feliciorum statum restitueretur, ut mox optimus quisque et tyrannidi infestissimus vel Agathoclis sacvitiam praeferret rerum qualis tum esset conditioni. Non solum enim Carthagenienses per maria vagantes denuo insulam vexabant, verum etiam intestinis bellis omnia pessumdabantur. Pro uno crudelissimo quidem sed fortissimo certe et magni sane ingenii viro sexcenti tyranni extiterant, quorum singuli singulis bellum inferebant civesque quoquo modo infestabant.

1) Diod. Sic. XX. 77/79.

2) Diod. Sic. XX. 401.

3) Diod. Sic. XXI.

Maeno statim fere Archagatho et ipso interfecto Syracusanis bellum intulit. Qui quidem Hicetam ducem adversus illum miserunt, simul autem Maeno a Carthageniensibus auxilium petit, qui cum nullam occasionem Siciliae recuperandae aut discordiae augendae praetermitterent, ei quoque opem ferendam esse censuerunt.

Ab his igitur Syracusani coacti sunt ut quadringentis obsidibus datis exules omnes in urbem reciperent necnon milites conducticios qui post Agathoelis mortem eiecti erant¹⁾. Hi frequentes tum in insula degentes prae aliis Siciliae mala inferebant et augebant, cum agros vastarent, civitates aqua et igni diruerent, ne turpissima quidem facta fugerent; ex quibus imprimis ii innotuerunt, qui Messana potiti sunt, scelestissimo facinore.

Anno enim 289^o mercenarii milites urbem Syracusas turbis et seditione complent²⁾ et postquam dubio Marte cum incolis pugnatum est urbem ex pacto reliquerunt et ad fretum progressi a Messaniis tamquam amici et socii in urbem humanissime recipiuntur, cuius urbis iamdudum cupidi propter opulentiam et loci praestantiam, nihil nisi opportunitatem desiderarunt eius capiendae, qua re, cum a civibus benigne in domos quoque accepti essent, hospitibus noctu occisis uxores eorum rapiunt et urbis imperium arrogant, quam deinceps ipsi a Marte, qui lingua eorum Mamers vocabatur, Mamertinam appellant³⁾. Horum

1) Diod. Enc. 12. 13.

2) Cf. Niebuhr. III. 129.

3) Diod. Sic. XXI. 43. Polyb. I. 7. Liv. XXVIII. 28. Dio Cass. Exc. Vales. 40. Gelonis iam tempore peregrini Italicae maxime gentis milites apud Siciliae tyrannos stipendia merere coeperunt (Diod. Sic. XI. 72. 76). Campanos primum ab Atheniensibus conductos esse tradunt, cum alteram expeditionem in Siciliam misissent, deinde a Carthageniensibus (Diod. XIII. 44. 55. 62). Postea et in Carthageniensium et in Siciliensibus exercitibus Campani memorantur (Diod.

terrore tota Sicilia brevi impleta est, praesertim postquam sceleris socios invenerunt.

Novem enim annis post, cum Romani Tarentinis bellum intulissent, Pyrrhus Epiri rex ab his auxilio vocatus in Italiam venit (280 a Chr.). Contra quem, cum Rhegini praesidium a Romanis petivissent, duce Decios Iubellio legio Campana in

XIII. 80). Ceterum iam tum non magis virtute bellica innotuere quam inconstantia et perfidia (Diod. XIII. 88). Postea plerique omnes tyranni eorum ope uti sunt ut Dionysius Agathocles alii. Necnon adsunt exempla oppidorum perfide occupatorum, incolarum obruncatorum (Diod. XIV. 9) ut urbis Entellae, quam per sexaginta annos tenuerunt, donec Timoleontis temporibus a Carthaginiensibus expugnarentur (XVI. 67). Ita Aetna potili a Timoleonte demum eiecti sunt (XVI. 82); postquam Agathocles obiit Campanorum nomen non amplius auditur, Mamertino mutatum, quod ex Martis nomine ducitur, qui eorum dialecto Mamers vocatus est. Cf. Plutarch. Pyrrh. II. 770 (ed. Reisk.) Nummi quoque Mamertinorum Martis signo maximam partem notati sunt cf. d'Orv. Sic. II. 3. Torremuzza, tab. 48.

Dio Cass. Exc. Val. 40. Post Agathoclem Campanos eius iussu hanc urbem iam habitasse tradit. Fortasse praesidium ibi collocati erant, quae sententia oritur ex Polyb. I. 7:

Μεσσήνη Καμπανοὶ παρὰ Ἀγαθοκλεῖ μισθοφοροῦντες, καὶ πάλαι περὶ τὸ κάλλος καὶ τὴν λοιπὴν εὐδαιμονίαν τῆς πόλεως ὀφθαλμιῶντες, ἅμα τῷ λαβεῖν καιρὸν εὐθὺς ἐπεχείρησαν παράσπονδοι.

Cum quibus cf. Dio Cass. l. l. Καμπανοὶ φρουρεῖν αὐτὴν (Μεσσήνην) ὑπὸ Ἀγαθοκλέους ταχθέντες, σφαγὰς τε τῶν ἐπιχωρίων ἐποίησαντο καὶ τὴν πόλιν κάτεσχον. Zonaras VIII. 8. Str. VI. 2. 3.

Festus cui hac in re non magna fides habenda est s. v. Mamertini: Mamertini appellati sunt hac de causa: Cum de toto Samnio gravis incidisset pestilentia, Sthenius Mettius eius gentis princeps convocata civium suorum contione, exponit se vidisse in quiete praecipientem Apollinem, ut si vellent eo malo liberari, ver sacrum voverent, id est, quaecumque vere proximo nata essent, immolaturos sibi. Quo facto levatis post annum vicessimum, deinde eiusdem generis incessit pestilentia. Rursum itaque consultus Apollo respondit non esse persolutum ab iis votum, quod homines immolati non essent, quos si expulissent, certe fore ut ea clade liberarentur. Itaque ii iussi patria decedere cum in parte ea Siciliae consedissent, quae nunc Tauricana dicitur, forte parantibus bello cernere Messaniensibus auxilio venerunt ultro eosque ab hoste liberarunt provinciales. Quod ob meritam eorum ut gratiam referrent et in summa corpore communionemque agrorum invitarunt eos et nomen acceperunt unum ut dice-

Rhegii praesidio collocata est, quae initio a fide prorsus non desciscebat paulo autem post incolas diem festum agentes, neopinato aggressa trucidavit, praetextu deprompto ex ficticiis litteris, quas tamquam ad Pyrrhum clam datas ab incolis et sua opera interceptas Decius militibus ostenderat ¹⁾. Post hoc scelus commissum Romani societatem inierunt cum Mamertinis, qui illorum ope nisi non solum occupata urbe terraque impune fruebantur, sed etiam vicinos vexabant magnamque insulae partem vastabant et mox Pyrrhum impediverunt quo minus insulam pacaret. Cum igitur per multos annos Syracusis Hicetas ²⁾ (288) Thynio ³⁾ (apud Plut. Thoenion 280) et Sosistratus ⁴⁾ sive Sostratus tyranni aemuli exstiterint et alter alterum bello pete-

rentur Mamertini, quod coniectis in sortem duodecim deorum nominibus Mamers forte exierat, qui lingua Oseorum Mars significatur, cuius historiae auctor est Alfius libri primi belli Carthageniensis.

Mamertini varios casus sectabant ut meliore fortuna fruerentur et postea fabulam, secundum quam Sanmites evenerunt e vere sacro Sabinorum, imitati sunt.

Mommsen (die Unterital. Dialecte IV. p. 196) prorsus negat eorum nominis originem quaerendam esse in Marte sive Mamerte et adnotat Apollinis nomen in fabula Sabina omnino non reperiri.

Eo auctore Apollo et Mamers Mamertinorum patroni erant. Cui sententiae pro argumento est inscriptio Osca in muris reperta, quam inscriptionem Mommsen hisce verbis vertit: Stenius Calinus Stadius fil. Mara Pomptius Numerii fil. meddices fecerunt et populus Mamertinus Apollini sacrum.

Ex hac inscriptione et ex nummis apparet Apollinem eos valde coluisse. Mommsen (quocum Holm. II. consentit) hanc inscriptionem factam esse primis temporibus quibus in Siciliam venirent putat.

Urbs semper fere nomen Messanam servavit cf. Strabo VI. 268. Cic. Verr. II. 5 et III. 6.

Livius XXVIII. 28. Plin. H. N. III. 8. 14 e. a.

1) Polyb. I. 7. Liv. Epit. XII. XXVIII. App. III. 9. Dio Cass. I. I. Diod. Sic. XXII. 2.

2) Diod. Sic. XXII. 2.

3) Ibidem 6.

4) Ibidem 7. Plut. Pyrr. II. 770.

ret, Thynio Insulam Sosistratus ceteras urbis partes teneret ¹⁾ et vehemens bellum intestinum denuo immineret, Pyrrhus ²⁾ Syracusanorum oculos in se convertit, qui postquam in Italia amplius duos annos frustra pugnavit facile Syracusanorum precibus commotus est ut in Siciliam copias traduceret ³⁾ (278).

Mamertini quoquo modo Pyrrhum ab insula arcendum esse censebant, qua de causa ad Carthageniensium amicitiam, tametsi perpetuis antea bellis et gravissima invidia invicem se persecuti erant, se contulerunt. ⁴⁾ Contra Tauromenii tyrannus Tyndarion Pyrrho favebat ⁵⁾, qui non solum feliciter eorum insidias effugit et in Tauromenium comiter receptus est sed etiam cum multis copiis a Tyndarione adiutus Catanam castra movit, ubi magna cum benevolentia ingressus aureis coronis donatus est.

Inde Syracusas cum exercitu classique contendit et urbem statim in potestatem redegit Thynione et Sosistrato cum civibus in gratiam revocatis dum Carthagenienses, qui Syracusas etiam tum obsederant, obsidione sublata se recipiunt et multis excursionibus Siciliam vexant. Deinceps Erycem progressus proelio hostes fundit, Panormum vi capit, ceteras Carthageniensium urbes, Lilybaeo quam urbem capere non potuit excepta, omnes suae ditionis fecit. Praeterea exactores Mamertinorum, qui pluribus Siciliae locis muneri suo vacabant, partim comprehensos occidit, partim aperto certamine superat, eorumque agrum vastat. Itaque praeter Messanam et Lilybacum omnes insulae partes habebat ⁶⁾.

1) Diod. Sic. XXII. 10.

2) Lanassam, Agathoclis filiam in matrimonium duxerat.

3) Diod. Sic. XXII. 11. Plut. Pyrrh. II. 768.

4) Diod. Sic. XXII. 8.

5) Diod. Sic. XXII. 11.

6) Plut. Pyrrh. II. 770. 771.

Iam vero Pyrrhus, cui omnia adhuc prospere evenerant, superbius incedere coepit. Carthageniensium pacis, quas illi petierunt, conditiones aspernatus cum classi aucta et exornata in Africam ipsam bellum transferre statuit¹⁾, ad quae comparanda multa severa et iniqua faciebat. Itaque cum sibi ipse temperare desierit atque iustitiae fines multifariam excesserit, iam ex populi amico in tyrannum conversus perfidiae non temere accusabatur, praesertim cum Sosistratum summa iniuria affecisset Thynionemque interimendum curasset. At maximum sibi cum hinc Sicularum civitatum odium conflasset, aliae Carthageniensibus, aliae Mamertinis sese dedunt, qui hoc tempore tam floruerunt ut decem militum milia in armis tenuisse tradantur.

Quod cum intellegeret Pyrrhus, nec tot contra se consilia inita facile dissipari posse perspiceret, litteras a Samnitibus et Tarentinis percommode accipit, quibus ad opem illis ferendam accersitur: qua ratione ad speciem honesta usus dolorem mente premens ad defendendam Romanorum potentiam in dies magis que auctam et amplificatam in Italiam revertitur postquam duo annos et quattuor menses frustra bellavit (276). Fretum traicientem sociisque carentem Poeni adoriuntur, maxima navium parte amissa cum reliquis Calabriam attingit.

Hic autem decem Mamertinorum milia in insidiis iam ante adventum eius collocati, cum acie decernere non auderent, in angustias exercitum eius inducunt, quem totum conturbant multosque extremi agminis milites occidunt. Ipse Pyrrhus capite sauciatus a Mamertino quodam ingente corpore elata voce ad certamen singulare lacescitur qua voce rex ira inflammatus

1) Plut. Pyrrh. II. 771. 772. Meltzer II. pag. 243.

imprudentem Mamertinum vehementi ictu medium dissecat, quo facinore viso Pyrrhum humana conditione maiorem rati hostes pugnare desistunt ¹⁾. Neque magis secunda fortuna postea usus Pyrrhus, etiam si enim copiarum numerum brevi supplevit, tamen altero iam anno, cum apud Beneventum cum M' Curio Dentato conflixisset, victus et ex Italia in Graeciam remigrare coactus est (275). Quo facto Romani, cum Tarentini facili opera superassent, brevi reliquam Italiae partem subiecerunt. Deinde in Rheginorum urbem etiamtum a Campanis occupatam oculos verterunt, postquam Campani eo audaciae pervenerunt ut Crotonem urbem incendio vastarent.

Cum C. Genucius consul adversus eos missus Rhegium diuturna demum obsidione cepisset ²⁾ (270), Campani, qui de salute desperabant, tam acriter certarunt ut plerique omnes pugnantibus interirent, trecenti tantum vix superstites in Romanorum manus inciderent, qui Romae securi percussi sunt iusto maleficorum supplicio ³⁾. Deinde Rheginis, quotquot etiamtum supererant, reddita est urbs cum libertate, qualis quidem erat libertas quae populi Romani sociis concedebatur.

1) Plut. Pyrrh. 24.

2) Dion. XX. 7. Liv. XXVIII. 28. Niebuhr. III. 633.

3) Polyb. I. 7. Appian III. 9.

Hiero Mamertinos profligat. Hannibal praesidium in urbe ponit. Hanno in Siciliam venit.
Mamertini Romanos auxilio arcessunt.

Simulae Pyrrhus ex insula decessit Syracusani Hieroni Hieroclis filio regii animi viro ¹⁾ rerum suarum administrationem tradunt (275), qui continuo ut milites mercenarios seditiosos de medio tolleret hoc stratagemate utitur. Postquam populi scito imperium militare obtinuit et domesticam urbis curam socero tradidit, Syracusis exercitum educit ac si Mamertinis multas Syracusanorum et Carthageniensium urbes vexantibus bellum illaturus esset, castrisque iuxta Centuripam locatis copias versus Cyamosorum ²⁾ fluvium, ad quem hostes consederant, progredi iubet. Ipse pedites et equites Syracusanos non dimittit nec propius accedit, alio itinere se ad hostes perventurum fingens cum civilibus copiis incolumis revertit, conducticii tamen milites, quos primos in proelium emisit, ad unum omnes pereunt. Quo quidem facto cum Mamertinos victoria de suis conducticiis deportata inflatos audacter Siciliam passim depopulari videret agmen bene institutum probeque ³⁾ exerci-

1) Polyb. I. 8. Liv. XXIV. 4.

2) Qui tum Mamertinorum territorii finis fuisse videtur.

3) Alesam deditione eum cepisse a^t Abacaenis et Tyndaritanis ultro receptum, Tauromenium quoque tenuisse dicit. Num Mylas quoque in potestatem redegerit dubitari potest; certe Diodorus ipse sibi non satis constat, cum infra Tyndaridem et Tauromenium fines vocet.

tatum adversus eos educit et qui extra urbem vagabantur in artissimos fines coegit in Mylarum planitie ad amnem Longanum. Mamertini qui Messanam incolebant ipsi cum expedita manu ad urbem Mylas defendendam advolarunt. Tum Hiero fortiter et strenue impetum in eos facit et Mylis expugnatis nonnullisque terris subactis hostium agros relinquit et Amesalum versus movet. Quo oppido capto novis copiis conductis numero cum exercitu contra Mamertinos proficiscitur et Alesa deditione capta Abacaeninos Tyndaritanosque benevole ab illis exceptus sibi subicit. Mamertini ei octo fere milia milites duce Cione opponunt.

Cion ¹⁾ convocatis ad rem divinam haruspibus de pugnae eventu eos consulit; qui respondent exta portendere illum proxima nocte in castris hostium fore. Quo nuntio ille excitatus cum de victoria minime dubitaret continuo copiis dispositis flumen traicere studebat. Dum haec aguntur Hiero ducentos exules Messanos spectatae fidei et virtutis, quos in copiis habebat, cum delectis quadringentis Syracusanis militibus vicinum collem Thoracem circumire iubet ut a tergo in hostem impetum faciant. Ipse distributa et ordinata acie a fronte cum hostibus congreditur proeliumque pedestre simul et equestre committit. In quo, quoniam Hiero in colle amni vicino collocatus opportunitate loci superior erat, diu ancipiti fortuna pugnabatur, at cum illi qui collem circumierant in Mamertinos de improvviso eruerent plurimosque facile, nullis quippe laboribus adhuc defatigati, trucidarent, Mamertini conturbati in fugam se coniciebant, ingenti a Syracusanis strage afficiebantur. Cion, qui strenue adhuc dimicaverat, tandem multis vulneribus

1) Mamertinorum duces ubique „duo meddices” vocantur, Cioni autem στρατηγός nomen erat, fortasse idem magistratus ac dictator apud Romanos.

exanimatus corruit, vivus tamen ab hostibus capitur qui in regis eum tentorium deferunt et medicis committunt. Atque sic, quod deorum oraculo praedictum erat, evenit ut in castris hostium pernoctaret. Dum medici fortissimi hominis saluti diligenter consulunt nonnulli equos in proelio captos Hieroni exhibent. Inter hos Cion filii sui equum cum cognoscit, iuvenem in acie perisse existimat. Quod tantam ei mentis perturbationem attulit ut vulnere ligaturis disruptis morte sua filii caedem honestaret. Mamertini autem, ea clade accepta, tanto timore percussi sunt ut regem supplices adire vellent de pace et de urbe regi tradenda, quod fecissent nisi Hannibal Carthageniensium dux in Lipara insula prope affuisset. Qui, tanta Hieronis Victoria accepta, subito eum convenit et blandis verbis commovit ut Syracusas rediret. Hiero Hannibali fidem cum haberet ulterius non progressus simulac re tam praeclara gesta Syracusas redux factus est tantam sibi incolarum sociorumque gratiam conciliavit ut uno omnium consensu rex creatus sit (269).

Haec omnia facta sunt anno 269°, nam apud Polybium VII. 8 scriptum videmus Hieronem mortuum esse anno 216° postquam quinquaginta et quattuor annos regnavit: cf. Livius XXIII. 24. Secundum Pausaniam VI. 12. 2, cf. Iust. XXIII. 14, Polyb. I. 8, Hiero sub Pyrrho militiae rudimenta posuerat et ab exercitu primum dux constitutus est cum Artemidoro, contione habita extra urbem, postquam seditione exorta inter milites et cives illi Syracusis abierunt (275).

Attamen quaestio oritur quae facta sint inter 275 et 270?

Cui quaestioni respondere non possumus.

Polybius in narratione sua perbrevis est, Diodori fragmenta perfecta non exstant, quae causa est cur Peter (Gesch. Roms I.

p. 324) e. a. putant quinquaginta quattuor annos incipere in eo tempore quo a militibus dux constitutus est, quam ob rem pugna apud Mylas facta esse traditur anno 266°.

Quaedam autem obstant:

I^{mo}. Polybius VIII. 8 narrat: "Ἐτη γὰρ ὡς καὶ τέτταρα βασιλεύσατος, διετήρησε μὲν τῆ πατρίδι τὴν εἰρήνην . . . et I. 9 βασιλεὺς ὑπὸ πάντων προσηγορεύθη τῶν συμμάχων", e quibus verbis plane elucet post pugnam apud Mylas regem creatum esse.

II^{do}. Polybius I. 8 Hieroni στρατηγῶν nomen dat, cf. fragm. 40. 41. 42. Dion. Cass., Zon. VIII. 4. 5. 6. (ed. Teubner recogn. Melber p. 128 sqq).

III^{to}. Secundum Paus. VI. 12. 2. anno iam 275° dominatu potitus est ¹⁾.

Hannibal interea Messanam proficiscens urbem in deditionem cepit, quadraginta milites arci inicit seque illis opem laturum pollicetur. Hos tamen Mamertini, simulac primum terrorem animo excusserunt, rursus eiecerunt, cum Hieronem fraude Hannibalis cognita Carthageniensibus propter perfidiam irasci intellegerent et hostium discordia se servatum iri sperarent. Hiero autem, ante omnia illos ex insula expellendos esse ratus, iusta ira omissa cum Carthageniensibus foedus adversus eos coniunxit ²⁾. Hanno, Hannibalis filius, Carthageniensium dux in Siciliam missus magnum exercitum contraxit. Quo facto cum uterque Messanam adoriri coepisset, Carthagenienses terra ma-

1) Erant qui apud Paus. VI. 12. 2 legebant τῆς τρίτης Ὀλυμπιάδος ἐπι ταῖς εἴκοσι καὶ ἑκατὸν.

Quia autem secundum Africanum Idaeum qui Pausania auctore eadem Olympiade vicerit nulla nisi centesima vicesima sexta Olympiade victorem discessisse constat (Casaubonus-Wesseling e. a.), hoc loco legendum est ἑκτῆς.

Stellula alii locum defectum significaverunt, cuius causa esse potuit littera ε (sex) praecedente voce τῆς oblitterata.

2) Diod. Sic. XX extr.

rique ab ea parte qua Septentriones spectat, Hiero a parte Meridionali in monte Chalcidico, ubi hodie castellum Gonzagae positum est, Mamertini ad incitas redacti dubitabant quo se verterent. Atque cum duae civium factiones extitissent, alteris Carthageniensium tutelam amplecti seque et arcem fidei eorum tradere iubentibus, alteris cogitantibus de Romanorum tamquam consanguineorum auxilio implorando, primum quidem illi, quod Carthagenienses minus timendi esse videbantur quam Syracusani, Hannonem cum praesidio intra moenia accipiunt. Simul tamen cum ab altera parte Romam legati missi sunt, senatus quid respondendum esset diu deliberabat. Num cum paulo ante cives suos ultimo supplicio affecissent, qui iniusto modo Rhegium occupaverant, indignum videbatur Mamertinis opem ferre tamquam qui eiusdem facinoris rei erant. At populus Romanus periculosum fore putabat si Carthagenienses Messana potirentur, quoniam per eam tamquam pontem pro libidine in Italiam transire possent, ideoque contra senatus sententiam Mamertinos esse iuvandos censebat. Post longas tandem super hoc negotio deliberationes, partim ut populo morem gererent partim ne opportunitatem potentiae augendae temere praetermitterent patres auxilium decernunt ¹⁾ et Appio Claudio consuli provincia data est ut Mamertinos hostium armis eximeret ²⁾ (264).

Iam itaque Messanam mari numerosissima classis terra duo selecti exercitus cingebant, cum C. Claudius tribuno ab Appio Claudio praemissus cum aliquot navibus Rhegium appelleretur. Is, quod classem metuebat hostium, navicula Messanam advocabat ³⁾, ac, ut maius Poenis odium conflaret, se non alia de

1) Cass. Dio fragm. 43. Zonaras VIII. 8. Polyb. I. 8—10. Liv. Epit. XVI.

2) Polyb. I. 10—12. et 14—15.

3) Front. Strat. I. 4. 11.

causa quam ut urbem tot malis eriperet advenisse, hoc negotio confecto abiturum adseverabat ¹⁾.

Paulo post ipse consul, freto non sine periculo noctu traiecto, Messanam venit. Quam cum gravissima obsidione pressam videret, legatos statim ad Carthagenienses et Syracusanos, qui pacem offerrent, mittit ²⁾. Recusata verum ab utroque pace proelio decernere ac Syracusanos demum aggredi statuit, postquam a tribuno suo Hanno cum praesidio ex urbe eiectus est ³⁾ et ipse Mamertinorum urbem in dicionem accepit.

Eductis igitur copiis aciem instruit Hieronemque certamen non detrectantem aggressus in castra reiecit, quo facto Appius praedam colligi iubet, copiasque in urbem reducit. At Hiero anxius proxima nocte Syracusas cum exercitu celeriter profiscitur sive existimabat freti transitum Romanis proditum esse ⁴⁾ Carthageniensium invidia, sive divinatione quadam ductus belli exitum praesentiebat ⁵⁾. Quod ubi consul cognovit ad Carthagenienses invadendos eo alacrius sese comparat militesque convocatos ad novam dimicationem hortatur. Deinde Carthagenienses qui apud Pelorum castra emensi erant ipsos fugat et impune Syracusanorum et sociorum regionem populari incipit nec multum abfuit quin ipsas Syracusas oppugnaret ⁶⁾. Haec omnia primo belli Punici anno gesta sunt (264).

Cum sequenti anno Romani novos consules M'. Otacilium M. Valerium ⁷⁾ cum copioso exercitu in Siciliam mitterent,

1) Zenaras VIII. 8. 9. Cassius Dio fragm. 43. Diod. Sic. XXIII. 1—3.

2) Polyb. I. 44. Diod. Sic. XXIII. 2. Zon. Ann. VIII. 8.

3) Polyb. I. 40. Zon. Ann. VIII. 8. Niebuhr III. 664.

4) Diod. Sic. I. c.

5) Polyb. I. c.

6) Polyb. I. 42.

7) Valerio postea Messallae nomen inditum est (Senec de brev. vit. c. 13)

multae urbes Syracusanae et Carthagenienses sese imperio eorum submiserunt. Hiero quod satius horum quam Cathageniensium partes sequi iudicabat legatos ad consules de pace mittit et cum Romani Hieronis amicitiam sibi minime sperandam ducerent, pax his conditionibus sancitur ut Hiero captivos sine pretio restitueret, centum talenta argenti Romanis numeraret.

Ab eo inde tempore usque ad obitum Hiero fidissimum populi Romani socium se praestitit necnon Mamertini nunquam Romanorum rebus defuerunt, ita ut Messana per totum bellum tamquam castris stativis Romani uterentur ¹⁾. Qua propter postea quam bello Punico composito (241) Sicilia in provinciae formam redacta est ²⁾ Mamertina civitas et Tauromenitana solae per totam Siciliam urbes foederatae fuerunt, ita tamen ut Tauromenitanis cautum esset foedere ne navem dare deberent, Mamertinis in ipso foedere sanctum atque praescriptum esset ut navem dare oporteret ³⁾.

Fortasse eodem tempore Senatus Populusque Romanus amplissima illa privilegia, quibus semper deinceps usi sunt Messanae incolae urbi concessit ⁴⁾, quae haec erant.

I. Messanam ab eo tempore in posterum nobilis cognomine salutandam et reliquis Siciliae oppidis praeferendam esse.

II. Sacerdotes et cives Messanii pari cum Romanis loco et honore versari debere.

Polyb. et Liv. Epit. XVIII eum M'Valerium appellant, ceteri M'Valerium, sed Plin. H. N. XXXV. 4. 7 Maximum, Seneca l. c. Corvinum exhibet.

1) Diod. Sic. XXIII. 14. cf. Polyb. I. 21. 25. 38. 52 etc.

2) Polyb. I. 62. 63. Polyb. III. 27.

3) Cic. Verr. III. 6. V. 49. 50.

4) Placa di Reyna p. 214.

III. Eam Siciliae caput constitui.

IV. Magistratus Romani sedem Messanam esse debere.

V. Fines eius a Leontinis ad Pathas extendendos esse, quoniam hunc agrum, ceteris desciscentibus, in officio erga Romanos continuissent.

Mamertini ad ultima usque imperii Romani tempora urbem tenuerunt, quae, ubicumque eius mentio fit, opulentia excelluisse dicitur, quin etiam Cicero ¹⁾ civitatem Mamertinam maximam vocat et locupletissimam Siciliae. Neque incolarum frequentia caruisse traditur, quamquam Strabonis tempore Catanam plus incolarum habuisse legimus, quippe quae Romanos colonos habuerit. Ceterum, ut fieri solet, pauca sunt neque ea magni momenti quae de Messana narrantur, postquam urbs in Romanorum potestatem pervenit.

Silius Italicus Pun. XIV. 194 Messanam in bello Punico secundo, postquam Hieronymus descivit, ab Romae hostibus stetisse canit, omnino tamen cum lateat unde haec demperit, historia nihil eiusmodi tradat, vera non esse conicere licet.

Tempore belli servilis alterius, quo per triennium Siciliam maxime vastatam esse constat (103—100 a Chr.), haud multum abfuisse accepimus quin urbs in Athenionis Cilicis manus incideret, quem servi regem sibi delegerant ³⁾. Sunt qui putant servos in belli servili Mamertinis infensos non fuisse, quia semper Mamertini bene eos tractarunt ⁴⁾. Fortasse haec sententia evenit e verbis Cassii Dionis qui 93. 4 scripsit:

1) Verr. V. 47. 43.

2) Strabo VI. 444.

3) Dio Cass. fragm. 104.

4) Oros. V. 6.

„νομίσαντες μηδὲν δεινὸν πείσεσθαι” omnia sua, quae moveri poterant, Messanam transportaverunt. Attamen prorsus hic non patet Mamertinos quoque in servos grassatos non esse. Unum argumentum adest quod huic sententiae non obstat: „seditiones et bella servilia semper oriebantur in Sicilia media sive Occidentali”, quod autem firmum argumentum vocari non potest.

Quaedam denique memoria digna Verris temporibus Messanae gesta in fine huius opusculi etiam locum suum habeant. Quamquam civitas foederata erat aliqua autem ex parte praefecto morem gerebat ¹⁾, impedire Romam non poterat quo minus in freto portorium exigeret. Scipio et Verres ibi iudices sedebant. Quotannis sexaginta milia modium frumenti urbs praestare debebat Romanisque in bellis adesse Mamertinis praeterea armis imperatis. Stipendiorum Romanorum immunis erat Messana urbs aequae ac aliae omnes civitates foederatae.

Sub Romanorum imperio maxime florebat urbs Verre in Sicilia quaestura fungente, quamvis erga ceteros Siciliae incolas perfidum se praeberit, si quidem Ciceroni, qui Messanam alteram Verris patriam et participem eius facinorum vocat, fides habenda est, quem fortasse permagno odio in Verrem accensum tam vehementer in hanc urbem invectum esse credere licet ²⁾. Primo urbem Verres levat navi quotannis paranda, quam Tauromenio imposuit. Messanae praecipue favebat quia emporium opportune situm erat rapinis undique ex Sicilia collectis, quas ibi tutari posset donec inde sive Romam sive in praedia transportandi occasio offerretur. Quod ut expeditius fieret a Ma-

1) Marquardt, Staatsverw. I. 348 sqq. Mommsen R. G. II. 345.

2) Ciceronem iter facientem per Siciliam Mamertini urbem adire prohibuerunt, qua de causa in via dormivit.

mertinis ingentem navem onerariam cybaeam dictam aedificandam curavit, quod donum Cicero ei posthac crimini dedit. Mamertini in Verris honorem ludos instituerunt quibus nomen „Verria” indiderunt quibusque Verres ipse aderat. Nobilibus et inprimis iis qui beati erant amicis et sociis non utebatur, Heium enim omnibus pretiosis spoliavit, quod eo magis memoratu dignum est quia omnia artis opera ¹⁾ Messania Heii erant.

Post Verrem egressum L. Metellus, qui ei in quaestura successit, Mamertinis omnia privilegia a Verre adepta ademit et in proximum statum redegit.

Postea C. Cassius Longinus, praefectus classi Pompeianae, paulo post pugnam Pharsalicam (48 a. Chr.) cum Caesaris militibus prope Messanam proelium navale commisit, sed quamquam primum secundo Marte dimicavit, mox tamen abire coactus est ²⁾. Cum Caesar interfectus esset, S. Pompeius Cn. fil. ex Hispania eiectus (43 a. Chr.) aliquamdiu maximam insulae partem tenuit, postquam paulisper per maria praedatus est. Et cum A. Pompeium Bithynicum interemisset, Messana occupata Salvidienum pugna navali vicisset, praesertim post pugnam Philippensem Cassianorum reliquiis receptis magnam manum contraxisset, tandem Octavianum et Antonium pacem inire coegit, qua ipsi insularum imperium in quinquennium concederetur ³⁾ (39 a. Chr.). Cum tamen pacem quam inierat non servaret, mox mare praedationibus infestaret, denuo adversus eum Octavianus bellum paravit (36 a. Chr.) Quo facto, cum

1) Amor marmoreus Praxitelis opus. Heraclis statua aenea Myronis opus. Duae *καυφόροι* a Polyclete fabricata.

2) Caes. comment. de bello civili III. 401.

3) Dio Cass. XLVIII. 17—20. Liv. epit. 23. 27. App. de bello civ. IV. 84. V. 18.

aliquoties vario eventu pugnatum esset, tandem Pompeius victus Messanam primum se recepit, inde autem fugam paravit ¹⁾. Hinc Lepidus quidem urbem occupavit, mox tamen a suis militibus desertus est ²⁾.

Sed manum de tabula.

Haec sunt quae de Zanca-Messana scribere in animo habebamus. Ultra tempus Romanae dominationis progressi non sumus quippe cum omnia quae tum in Sicilia gesta sunt iam satis innotuerint neque quidquam tradatur quod memoria dignum sit.

1) Liv. Epit. 28. 29. Dio Cass. XLII. 4—11. Appian. V. 77—122.

2) Dio Cass. XLIX. 11—12.

T H E S E S.

I.

Thuc. 4. 24. 5 fretum Siculum idem esse ac Charybdim narrat. Hac in re Thucydidi non est assentiendum.

II.

Orionem eundem esse ac Nimrodum satis constat.

III.

Valde errant Brunet de Presle et Buonfiglio putantes Rhegium conditum esse anno 812^o a. Chr.

IV.

Zanclae nomen „Messana” datum est eodem vel altero anno quo Samii in Siciliam venerunt.

V.

Micythus pro Anaxilai filiis regnum suscepit cum Rhegii tum Messanae.

VI.

Peter (Gesch. Roms I. p. 324) non recte affert Hieronem iam anno 275^o a. Chr. regem creatum esse.

VII.

Thimbron Persis versutia par non erat, quam ob causam
Dercylidas ei mox successit. Alia causa non exstabat.

VIII.

Horat. Carm. II. 8. 21—24:

te suis matres metuunt iuvenis,
te senes parci miseraeque nuper
virgines nuptae, tua ne retardet
aura maritos.

Recipienda est coniectura Bentleii: cura maritos.

IX.

Tacit. Ann. XIV. 57.

Sulla, sexto die pervectis Massiliam percussoribus, ante metum
et rumorem interficitur, cum epulandi causa discumberet.
„epulandi causa” expungendum est.

X.

Ovid. Metamm. VII. 14.

Nam cur iussa patris nimium mihi dura videntur?

Sunt quoque dura nimis. Cur quem modo denique vidi

Ne pereat, timeo?

Legere malim:

Sint quoque dura nimis, cur quem etc.

XI.

Tacit. Ann. XVI. 22.

Et habet sectatores vel potius satellites, qui nondum contu-
maciam sententiarum, sed habitum vultumque eius sectantur,
rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent.

Melius legitur: satellites vel potius sectatores.

XII.

Livius XXI. 18. 8.

Itaque quoniam discerni placet etc.

Legendum est: Itaque quoniam discerni non placet.

XIII.

Livius XXI. 18. 11.

Si vos non tenent foedera vestra nisi ex auctoritate aut iussu vestro icta,

Legendum est:.... nisi ex auctoritate vestra aut iussu populi.

XIV.

Livius XXIII. 10. 11.

Navem Cyrenas detulit tempestas, quae tum in ditione regum erant.

Malim legere: regum Aegypti.

XV.

Vitruvius VI. 3. 1.

Tetrastyla sunt quae subiectis sub trabibus angularibus columnis et utilitatem trabibus et firmitatem praestant, quod neque ipsae magnum impetum coguntur habere neque ab interpensivis onerantur.

pro „utilitatem” scribendum est vilitatem.

XVI.

Lucretius II. 600:

Hanc veteres Graium docti cecinere poetae
Sedibus in curru biugos agitare leones.
Lego: Sistentem in curru....

XVII.

Odyss. IV. 758: ὡς ἴφάτο τῆς δ' ἠΰνησε γόου, ἴσχεθε δ' ὅσπε γόοιο.
pro γόου legendum est: νόου.

XVIII.

Xen. Cyrop. I. 3. 5.

Ὅτι σε, Φάναι, ὀρῶ, ὅταν μὲν τοῦ ἄρτου ἄψῃ, εἰς οὐδὲν τὴν χεῖρα ἀποψάμενον, ὅταν δὲ τούτων τινὸς θίγης, εὐθὺς ἀποκαθαίρει τὴν χεῖρα εἰς τὰ χειρόμακτρα, ὡς πάνυ ἀχθόμενος ὅτι πλέα σι ἀπ' αὐτῶν. ἐγένετο.

pro πλέα legere malim: ἀναπλέα.

XIX.

Aesch. Ἐπτά versus 1037 sqq:

Κηρ. Ἄλλ' ὃν πόλις στρυγεῖ, σὺ τιμήσεις τάφῳ;

Ἄντ. ἤδη τὰ τοῦδ' οὐ διατετίμηται θεοῖς.

Κηρ. οὐ πρὶν γε χώραν τήνδε κινδύνῳ βαλεῖν,

versus 1038 legendus est: κήδη τὰ τοῦδ' οὐ δίχα τετίμηται θεοῖς.

δίχα Weilli coniectura est.

XX.

Soph. Antigone versus 286. 287.

Κρέων. . . . ὅστις ἀμφικίονας

ναοὺς πυρώσων ἤλθε κἀναθήματα

καὶ γῆν ἐκείνων καὶ νόμους δικασκεδῶν;

fortasse legendum: τὰ γῆν τ' ἐκείνων etc.

XXI

Xen. Cyrop. VIII. 7. 3.

αἰτοῦμαι δ' ὑμᾶς δοῦναι καὶ νῦν παισὶ μὲν γυναικὶ καὶ Φίλοις καὶ πατρίδι εὐδχιμονίαν, ἐμοὶ δὲ οἷον περ αἰῶνα δεδώκατε, τοιαύτην καὶ τελευτήν δοῦναι.

δοῦναι i. f. eiciendum est.

XXII.

Stob. Flor. II. IX. 1. (fr. mor. 11. p. Mullach) (Democr.)

Ἀνθρώποισι κακὰ ἐξ ἀγαθῶν φύεται, ἐπὴν τις τάχαθὰ μὴ ἐπίσθηται ποδηγετέειν μηδὲ ὀχέειν εὐπόρως. Οὐ δίκκιον (ᾧ) ἐν κακοῖσι τὰ τοιαῦδε κρίνειν, ἀλλ' ἐν ἀγαθοῖσι τοῖσι δ' ἀγαθοῖσι οἷον τε χρῆσθαι καὶ πρὸς τὰ κακὰ, ᾧ τινι βουλομένῳ ἂν εἴη.

pro εὐπόρως lege: εὐλόφως.

XXIII.

Eurip. Heracl. fur. 574 sqq.

Τῷ γὰρ μ' ἀμύνειν μᾶλλον ἢ δάμαρτι χρῆ

καὶ παισὶ καὶ γέροντι; χαιρόντων πόνοι

Μάτην γὰρ αὐτοὺς τῶν δε μᾶλλον ἤνυσα.

pro ἤνυσα malim legere: ἤνεσα.

XXIV.


Ten onrechte laat Munro p. 397 Lucretius eerst bewijzen dat 't al vervolgens dat ruimte en eindelijk dat materie oneindig is.

XXV.

De beginselen der hygiene moesten op de lagere school reeds onderwezen worden.

Recentiorum opera quae inspexi.

1. Tomazo Fazello. Dell' historia di Sicilia. deca I. Venezia 1574.
 2. G. Buonfiglio. Messina. Ven. 1606.
 3. Philippi Cluveri Italia antiqua item Sicilia II. Lugd. 1624.
 4. Plac. Reyna. Notiz. stor. della citta di Messina. 1658—1668.
 5. Plac. Caraffa. Della citta di Messina. Ven. 1670.
 6. J. Ph. d'Orville. Sicula rudera et numismata. 1764.
 7. Fürst von Torremuzza. Siciliae veteres nummi. 1781.
 8. W. H. Smyth. Sicily and its Islands. Lond. 1824.
 9. Serra di Falco. Antichita della Sicilia. 1834. I.
 10. H. G. Ebel. De Zancle Messaniorumque rebus. Berol. 1842.
 11. Fragm. Hist. Graec. Coll. C. Müller I. II. 1843. Paris.
 12. Wlad. Brunet de Presle. Recherches sur les établissements des Grecs en Sicile. Paris 1845.
 13. Geogr. Graeci minores. Coll. C. Müller 1851. Paris.
 14. Dr. O. A. B. Siefert. Zancle-Messana. Progr. Gymn. Altona 1854.
 15. Ad. Holm. Geschichte Siciliens im Alterthum. I. II. III. 1870.
 16. Theobald Fischer. Beiträge zur phys. Geogr. der Mittelmeerländer besonders Siciliens. 1877.
 17. O. Meltzer. Geschichte der Karthager. Berlin. 1879.
 18. Dr. O. Axt. Zur Topografie v. Rhegium und Messana. 1887.
 19. Freeman. History of Sicily I—IV.
 20. Prof. Dr. O. Axt. Zur Gründungssage von Zancle-Messana. 1901.
 21. Messina e Dintorni. Guida Mess. 1902.
-



C o r r i g e n d a.

pag.			
	3, vs. 24.	potuisse	lege potuisse.
	8, "	1. com	" com-
	8, "	15. hi	" hic
	10, "	3. Zankla	" Zanela
	11, "	25. antiquuis	" antiquius
	12, "	21. antiquissima	" antiquissima
	16, "	7. Achaia.	" Achaia
	16, "	26. apud.	" apud
	19, "	12. Lexicologicus	" lexilogus
	20, "	5. deleatur: cur.	
	34, "	17. longuis	" longius
	35, "	3. exsiterit	" exstiterit
	35, "	5. gymnasiarum	" gymnasiorum
	36, "	1. populonimis	" populus nimis
	45, "	16. apud.	" apud
	77, "	13. num	" nonne
	87, "	8. telerunt	" tulerunt
	88, "	1. immiscuerent	" immiscuerunt
	88, "	7. mon	" mox
	90, "	9. Carthageniensum	" Carthageniensium
	95, "	22. Portissimos	" Fortissimos
	105, "	3. accersivirunt	" accersiverunt
	106, "	14. Messanii	" Messanios
	110, "	6. Decios	" Decio
	119,	Gonzagae lege Gonzagua	

In Thesi X rescribe: Legere malim:

			Sint quoque dura nimis....., cur quem etc.
"	"	XIII	" Legendum est:.... nisi ex auctoritate patrum aut iussu vestro
"	"	XVIII	" ὅτι πλέα σοι ἀπ' αὐτῶν ἐγένετο.

